Google

### Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

### Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

### Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

Digitized by Google

Jur 781

EX BIBLIOTHECA
C. VAN BAVIERE
FACULT. JURIS
ACAD. BRUXELL.
A SECRETIS.

FRANC ET LOYAL.

UNIVERSITEITS

9000

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google




Digitized by Google

Digitized by Google

# POSITIONVM
# DE
# IVRE CIVITATIS
*PARS I.*
# SEV
# IVS PVBLICVM
# VNIVERSALE.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLI ANTONII DE MARTINI

S. C. R. A. M. IN SVPREMO IVDICIORVM TRIBVNALI
A CONSILIIS AVLICIS ET P. P. O.

# POSITIONES
DE
# IVRE CIVITATIS

IN VSVM
AVDITORII VINDOBONENSIS.

VINDOBONAE
TYP. IOSEPHI KVRZBOECK, CAES. REG. AVLAE
ILLIRICO - ORIENT. TYPOG. ET BIBLIOPOLAE.

MDCCLXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

# CAPVT I.

## DE ANARCHIA ET FINE CIVITATIS.

I.

Quamquam ſingulis familiarum ſociis incumbit, communibus periculis vi vnita obſiſtere, tamen vnusquisque patrumfamilias eum domeſticorum numerum nec reperire, nec alere ſemper potuit, qui contra increſcentem iniuriarum vim plenam ſecuritatem praeſtaret. Nihil ergo tam conſentaneum naturae fuit, quam domuum ſingularum rectores ceterarum familiarum auxilium quaerere, idque, quo eſſet certius, mutuo ſibi polliceri.

II.

Vbi duo aut plures patresfamilias inuicem ſibi contra externos hoſtes promittunt



Digitized by Google

auxilia, adeſt ſtatus, in quo perſona ius perfectum & affirmatiuum in perſonam habet, vt ad mutuæ defenſionis finem iunctis viribus conſpiret. Atque adeo ſocietas concipitur, quae licet ex ſocietatibus aliis rectoriis ſit compoſita, ipſa tamen aequalis eſt, ſipuidem ſociorum obligationes, non arbitrio imperantis, ſed ex pactionis natura determinantur.

III.

Societas haec familiarum plurium aequalis, ſiue in *pagis*, ſiue in *vicis* reperiatur, dicitur *Anarchia*, quod in eo ſtatu patresfamilias communi careant imperio. Auctoritas enim, ob prudentiam forte, ſenium aut fortitudinem, vni ex ſociis collata Imperium dici nequit. v. GEN. XV. 13. HOMER. OD. x. 112.

IV.

Hoc in ſtatu patresfamilias aliaeque perſonæ *ſui iuris* variis quidem in ſpeciem vtebantur commodis, libertatis quippe, aequalitatis, belli, pacisque iuribus gaudentes. Attamen his non contenti in maiores ſocietates coire, communi ſe ſubmittere imperio, atque naturalia illa bona cum ſubiectione, et inaequalitate, incommodisque aliis permutare ſtuduerunt. Cuius rei cauſſam noſſe plurimum intereſt, quo earum ſocietatum fines, ex finibus leges & obligationes dignoſcantur.

V.

Digitized by Google

V.

Statui nimirum libertatis incommoda multo grauiora comitabantur, quod homines ſeu exiguo praediti ingenio, ſeu iuſtitiae ac aequitatis immemores, propriis opinionibus & cupiditatibus indulgerent. Quare nec ſingulae domus iure ſuo quiete frui, nec quod ab aliis tribuendum, tuto conſequi, nec contra aliorum inſultus ſe tueri ſolae poterant.

VI.

Sane huic malo non ſatis medebatur Anarchia. Quum enim nemo patrumfamilias ab alieno penderet arbitrio, facile inter ſocios licet probos erumpebant diſſidia, dum alia aliis ad commune bonum obtinendum remedia viderentur aptiora. Inde diffidentiae et ſimultates, quae non modo vires ac voluntates ſociorum diſſoluerent, ſed et odiis bellisque inteſtinis viam pararent.

VII.

Nemo tamen exiſtit, qui ad quaerendam felicitatem propulſandaque eius impedimenta naturali non incitetur ſtimulo. Tota autem externa, ſeu huius vitae felicitas in non interrupto perfectionum progreſſu poſita eſt; cui quam maxime obſtabat ſecuritatis defectus, quod nec animi, nec corporis, nec ſtatus externi bona ſatis tutari, multoque minus augere liceret.

VIII.

Ceterae ſocietates omnes propter hominum ſiue imprudentiam, ſiue prauitatem, ſiue creſcentem numerum, ſiue ingeniorum diſſenſum hiſce finibus conſequendis minus erant idoneae; neceſſe igitur fuit de arctiore virium & voluntatum coniunctione cogitare, adeoque propter officiorum erga ſe conflictum, ad maiora ſcilicet incommoda & pericula euitanda, libertatis & aequalitatis, aliaque naturalia iura in commune quoddam transferre imperium, vt ita voluntates ſingulorum totius vniuerſitatis voluntati ſubiicerentur. Neque enim in Anarchia ſperare licebat, omnes per conſpirationem in idem eſſe ſemper conſenſuros. CIC. *Off. II.* 12. & 21. *Orat. I.* 8.

IX.

Coetus hominum ſui iuris ſub eodem communi imperio ſecuritatis fruendæ cauſſa colligatus, *ciuitas* eſt. Patet inde ciuitatem omnem ſocietate, et quidem rectoria contineri. Eſt vero eius forma *Monarchica*, ſi imperium penes vnum, *Ariſtocratica*, ſi penes plures, *Demoratica*, ſi penes omnes collectim conſideratos reperiatur. Ex quibus elucet, quae ſit obligatio et cauſſa condendae ciuitatis, quodue eius ab Anarchico ſtatu ſit diſcrimen.

X.

Digitized by Google

X.

Sufficit ad eum coetum tanta multitudo, quanta ad ſcopum ſecuritatis obtinendum requiritur. Quod enim putauit Plato quinque millia, & quadraginta, Hippodamvs Milesivs decem civium millia, Apuleivs quindecim homines liberos, Valerivs denique M. tres requiri familias, id nullo modo hic attendi poteſt, quum creſcente metu maiores ſemper conſtitui ciuitates neceſſe ſit. Illud vero abunde liquet, a ſolis maribus, aut a ſolis feminis diuturnam ciuitatem effici non poſſe. Florivs L. I. C. 5.

XI.

Debent porro ſocii ciuitatis ſeu *ciues* eſſe ſui iuris, id eſt, nec imperio parentali nec herili ſubjecti, quin tamen ſingulos familiam habere opus ſit. Hinc filiifamilias et ſerui, quamuis intra terrae ſpatium, quod ciues poſſident, ſeu in communi ciuitatis *territorio** exiſtant, perſonae tamen ciuiles non ſunt. Sed et ipſae perſonae imperantium ciues ſunt; quare hi in *imperantes* et *parentes* diſpeſcuntur.

*L. 293. §. 8. *de V. S.*

XII.

Commune, quod requiſiuimus, Imperium propterea non ceſſat, ſi ſocietas ciuilis vna plures poſſideat diſſitas regiones, ciuesque plurimi a ſe inuicem remoti viuere de-

beant. Etſi et illud aliquando accidat, vt vnus ſit rector diuerſarum omnino ciuitatum.

XIII.

Finem denique ciuitatis primarium ac proprium ſtatuimus eſſe ſecuritatem. Quamquam enim haud negemus, etiam alios ſecundarios aſſignari fines poſſe, hi tamen omnes primitiuo illi tanquam ſtirpi et radici inhærent. Arcentur vero fines inhoneſti, ob quos inita ſocietas non ciuitas veri nominis, ſed *turba* eſt.

XIV.

His praeſtructis facile erit ſententias de cauſſa condendae ciuitatis inuicem conciliare. PLATO illam ab hominum indigentia repetit. Sed in hac homines nunquam fuiſſent verſati, ſi modo quisque perfectioni intellectus et voluntatis dediſſet operam; nemo eſſet otiatus, nec quisquam iuſtitiae et charitatis officia violaſſet; non enim primis ciuitatum conditoribus rerum copia, ſed illis ſecure fruendi ratio deficiebat.

XV.

ARISTOTELES recurrit ad naturæ ſtimulos. At his tantum conueniunt ſocietates minores et aequales extra ciuitatem poſitae. Ipſa enim *natura quisque magis ſtudet libertati quam imperio* *. Itaque ciuitas ſocietates ſimplices non neceſſitate quidem abſoluta, ſed cum ad-

*CÆSAR *B. G. III.* 10.

adiunctione conſecuta eſt*, quod mortales naturalem illum ſtatum profecto non deſeruiſſent, niſi conflictatio officiorum ſubiectionem omnino poſtulaſſet.

* Cic. *Off.* I. 17.

XVI.

Ita & illorum ſententiam, qui ſocietatem ciuilem ex ipſo ordine naturae deriuari arbitrantur, neceſſe eſt declarare. Nec enim Patresfamilias ex ſola natura alii aliis ſubiecti eſſe intelliguntur, ſed poſita primum conuentione; quia tamen nec in vita ſegrege, nec in anarchia ſufficientem ſperare licuit ſecuritatem, dictauit profecto ratio atque adeo lex naturalis, vt homines concederent in ciuilem coetum, cuius omnis cura atque opera poſita eſſet in auertendis ſingulorum periculis; quique ſi non omnia propelleret mala, ſummum tamen, quod eſſe poſſet, eorum faceret compendium., Cicero *pro Sext.* c. 42.

XVII.

Atque eodem recidit doctrina eorum, qui Deum auctorem faciunt ciuitatis. A Deo enim nobis tributa recta ratio eſt, et lex naturalis, quae orto conflictu officiorum ciuilem iuſſit iniri ſocietatem. Quo ſenſu praeclare obſeruatum eſt a Cicerone*, nihil eſſe illi Principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius,

 ptius,

* *Somn. Scip.* c. III.

Digitized by Google

ptius, quam concilia coetusque hominum iure ſociatos, quae ciuitates appellentur. Id ipſum ſacri Codices mirifice illuſtrant.*

* *Prou. VIII. 15. Eccleſiaſtici XVII. 14. Rom. XIII. 1.*

XVIII.

Igitur hoc modo ciuitas *generatim* conſiderata recte dicitur ſocietas inter homines omnium perfectiſſima, quam naturae auctor non modo initam conſequenter adprobat, ſed iam antecedenter incundam eſſe praeceperat, vt, quemadmodum morbis paratur medicina, ita & firmitati Patrumfamilias communis imperii remedium conſuleret. Etſi vero D. Petrus * ciuitatem *humanam* vocat *ordinationem*, id tamen ad *ſingulares* ciuiles ſocietates, et varias earum formas tantum pertinet.

* *Ep.* I. *c.* II. v. 13. cf. PUFEND. *de J. N. & G L. VII. C. III.* §. *3.* LEYSER *ſpec. ad Pand* 568. §. *1.*

XIX.

Illi, qui ciuitates metu impellente excitatas fuiſſe contendunt, a nobis haud diſſentiunt. Qui enim ſecuritatem quaerunt, ii primo metuunt. Quare vt ſe periculis vndique ingruentibus primi mortales expedirent, non alia ei fini ſatis idonea praeſto erant ſubſidia.

XX.

Digitized by Google

XX.

Nec quippe eum ſtatum praeſtare poterant, aut 1.) Lex naturalis ſibi ſoli relicta, quum ſaepe dormiat hominum conſcientia; aut 2.) metus Numinis, quod ſera eius vindicta plerumque futurae ſeruetur vitae, aut 3.) aliae quaecunque conuentiones, quod eae facile violarentur, niſi coniunctis demum viribus perfidi ad fidem datam compelli, atque communi imperio debiliores a potentioribus defendi poſſent. Quid quod nec ſemper in ciuitate virtus vincat audaciam?

XXI.

Docent alii ciuitatem violentia conſtitutam eſſe. Quae opinio tunc admitti poteſt, ſi eum ſenſum habeat, homines violentiam metuentes in communem coetum mutuae ſecuritatis ergo tranſiuiſſe. At falſa eſt, quando ita explicant, vt ipſum imperium initio ſola coactione et potentia phyſica fuerit ſtabilitum, Si enim primam ciuitatem democraticam fuiſſe ponas, ſane repugnabat, manente apud omnes imperio, ſingulos ſibi vim intuliſſe. Si vero imperium penes vnum vel paucos fuit, quomodo his totius licuiſſet multitudinis vires ſuperare? Sed et ſacrae Litterae huic opinioni aduerſantur. Gen. XIV. 18. XX. 14.

XXII.

XXII.

Vt doctrinam noſtram labefactent, aiunt, ſolam vim originem ciuitatum fuiſſe ex eo adparere, quod 1.) probi inter ſe ſatis fuerint ſecuri, vt ciuili ſocietate non egerent, et quod 2.) Cainus eam primus condidiſſe legatur, * immo quod 3.) ſtatim poſt diluuium Nimrodus homines ſubiugare coeperit, atque 4.) improbi fuerint, qui eodem tempore turrim aedificarint, vt ſibi *nomen facerent*, id eſt, ſuperbiam alerent, ** a Deo propterea linguarum confuſione puniti.

* GEN. IV. 17.
** GEN. X. 8.

XXIII.

Addunt 5.) in ſacris Litteris mentionem fieri Gigantum ſeu oppreſſorum *, quo referendi videantur venatores, qui, quod armati eſſent, paſtores inermes et agricolas ſibi ſubiecerint, et ſpeciatim Eſauus, qui regnum ſibi condidiſſe et Choreos profligaſſe memoretur **. Maxima denique regna, veluti Romanorum rempublicam, violentia potiſſimum increuiſſe.

* GEN. VI. 4.
* GEN. XXXVI. DEUT. II. 12.

XXIV.

Non tamen tanti haec ſunt argumenta, vt non facile dilui, atque euerti poſſint. Quis

Quis enim 1.), vt aduerſariorum tela ordine ſuo proſequamur, improbis inſtitutum tribuat, quod ex legis naturalis hypotheticae cuſtodia ipſo Deo auctore profectum eſſe intelligitur? Sed nec repugnaret, malos ſibi metuentes quaeſiviſſe ſecuritatem, veluti Cainum; etſi 2.) hunc non conſtet feciſſe ciuitatem, verum potius caſarum collectionem, maceria, vel ſepe viridi cinctam, familiari attemperatam imperio, quo ipſum ſecuritatis deſiderium impulit.

XXV.

Reponimus 3.) Nimrodum nihil aliud quam venatorem fuiſſe praecipuum ferarum, quarum magna copia homines infeſtauerat. 4.) Turrim illam non fuiſſe ambitionis, verum potius metus effectum, voce Hebraica *Schem* ſignum dumtaxat denotante, quod reſpicere poſſent, ſi quando diſpergerentur venatione; neque ideo eius exſtructores confuſione linguarum punitos fuiſſe, ſed ideo potius, quod contra Dei voluntatem, qui orbem totum illis habitandum deſtinarat, vniti manere ſibi propoſuerint.

XXVI.

5.) Potuiſſe quidem mortales ad eum coniungi finem, vt alios ſibi ſubiicerent; verum ita, vt ipſa illa vnio communem vnitorum voluntatem, adeoque ſocietatem quamdam ciuilem preaeceſſiſſe deſignaret. Potuiſſe

im-

imperia per vim increſcere, ſed inde non ſe-qui a violentia primam ciuitatum originem eſſe repetendam.

XXVII.

Eſt praeterea alius *finis operis*, propter quem agere debemus, alius *finis operantis*, ob quem agimus; illum Philoſophus, hunc Hiſtoricus conſiderat. Ita fieri potuit, aliquarum civitatum *formas aut ex benevolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis praeſtantia, aut ſpe largitionis* * coaluiſſe. Sed ea res eſt cognitionis hiſtoricae, quum a facto ſingulari tota dependeat. Nos vero ciuitatis finem ex eiusdem natura ſola ratione contemplati ſumus, qui vtique ad cognitionem ſpectat philoſophicam.

* Cicer. *Off. c. 6. 11.*

# CAPVT II.

## DE CIVITATIS NEXV, EIVSQVE IVRE GENERATIM.

XXVIII.

Nulla ſocietas absque communi fine, virium vnione et voluntatum, negotiis denique ſocialibus intelligitur. Quum itaque de cauſſa et fine ſocietatis ciuilis actum ſit, ſequitur, ut de modo, quo plurium pa-

trum-

Digitized by Google

trumfamilias vires et voluntates vnitae ſunt, ſeu de ciuitatis nexu diſſeramus, ad ipſa negotia inde ciuilia tranſituri.

XXIX.

Placet multis Pvfendorfii ſententia, qua ciuitatis ſtructuram a duobus pactis et vno decreto deriuauit. Et primum quidem ac praecipuum pactum ait ſingulos cum ſingulis in naturali libertate viuentibus iniiſſe, quod in vnum ac perpetuum coetum coire ſuaeque ſalutis ac ſecuritatis rationes communi conſilio adminiſtrare velint. Hoc deinde pacto ſemel abſque vlla determinati regiminis conditione celebrato ita obſtringi omnes, vt cuicumque demum imperandi poteſtatem tribuant, a coetu recedere haud amplius poſſint. Pvfend. *de J. N. & G. L. VII. c. 2. §. 7.*

XXX.

Sed & porro ex eius mente *decretum* ſucceſſit, quo a ſociis imperii forma fuerit definita, an ſcilicet vnus, an plures, an vero omnes collectim ciues imperarent. Cuius decreti ea vis ſit, vt ei quidem aſſentiri non teneantur perſonae, quae nonniſi ſub alius regiminis conditione in ſocietatem conſenſerint, tamen vt reliquae, quae pactum pure iniuerint, ſuffragiis plurimorum ſtare cogantur.

XXXI.

Digitized by Google

XXXI.

Addit demum aliud pactum, quo vel Monarchae, vel optimatibus, aut toti populo ſecundum formulam in decreto conuentam ſe ſinguli ſubiiciant. Et hinc pactum *vnionis* virium, decretum *formæ*, et *pactum ſubiectionis* ſecerni conſueuerunt. DION. HALICAR. L. II. p. 80. IOSVE I. v. 16. 18. I. REG. 10. v. 24.

XXXII.

Enimuero non prius patribusfamilias de conſtituenda ciuitate inter ſe tractare licuit, quam phyſica quædam illorum congregatio exiſteret. Hæc autem vnio non tam a conuentione, quam a facto dependebat; ſiue quod homines diu per orbem errantes ad eadem demum loca fortuito delati fuerant, ſiue quod a communi ſtipite progeniti, et in varias domos diſtributi in vicinis terrarum ſpatiis iam ante ſimul permanſerant, quemadmodum de Achaeis proditum eſt. IVSTIN. Hiſt. L. XXXIV. I.

XXXIII.

Sed et quamprimum ſtatus concipitur, in quo plures homines ſui iuris de vita in vno ac perpetuo coetu mutuae defenſionis ergo tranſigenda ita conuenerunt, vt ſinguli vi huius pacti ſuas voluntates vniuerſorum aut maioris partis voluntati ſubiicere teneantur, iam adeſt ciuitas alibi definita. Quia igi-

Digitized by Google

igitur Puſendorfii opinione ſtatus ille ex ſolo pacto primo conſequitur, euidens eſt, fruſtra alterum pactum et intermedium decretum generatim ſuperaddi.

XXXIV.

Ac profecto, qui in ſocietatem ciuilem conſenſit, ſine vllius formae exceptione, id vtique, quod naturale eſt, voluiſſe iudicandus eſt, nimirum ſuam voluntatem imperio ſubmiſiſſe vniuerſorum; quorum porro erit, vel jam enatam inde democratiam tueri, vel diuerſam ab hac imperandi rationem ſtabilire. Fingas vero primum illud pactum vim non habere, tum id negotium non iam ad pactorum genus, ſed ad nudos tractatus pertinebit.

XXXV.

Tum igitur demum vera eſt Pufendorfii doctrina, quando multitudo Ariſtocratiam vel Monarchiam praefert Democratiae. Nam tunc opus eſt decreto, quod ſingularem hanc inducat formam, dein nouo pacto, quo in certas et determinatas perſonas imperium transferatur. Alias ita viget imperium vniuerſorum, vt ſinguli quam minimum primaeuae ſuae libertati detraxiſſe videantur.

XXXVI.

Nec quiſquam obloquatur, etiam in Democratia eligendas ſore perſonas, quae ne-

gotia quotidiana expediant. Enimvero adeſſe prius ciuile neceſſe eſt Imperium, quam huiusmodi perſonae decernantur. Aliud quid igitur eſt conuentio, qua conſtituitur ciuitas, aliud *ordinatio ciuitatis*, ſeu remediorum electio, quae ad finem ſocietatis ciuilis conſequendum magis idonea iudicantur.

XXXVII.

Pendet haec ordinatio, ſeu *reſpublica*, in eo ſtatu ab arbitrio vniuerſorum, quorum erit definire, an ciuile penes ſe retinere imperium, an idem vni, an pluribus ſub nulla vel ſub certa formula, aut mere perſonale, aut in alios transmittendum concedere velint.

XXXVIII.

Hinc non obſcurum eſt, vnicum pactum ſubiectionis, quo ſinguli voluntatem ſuam vniuerſis ſubmittant, vel quod idem eſt, pactum vnionis ciuilis ad eſſentiam civitatis generatim acceptae ſufficere. Nam qui voluntatis vnionem, ſeu ſubiectionem ſpondet, is eo ipſo in phyſicam ciuium vnionem, omniaque remedia ad confirmandum hocce conſociationis vinculum neceſſaria conſenſiſſe intelligitur.

XXXIX.

Illos itaque non moramur, qui vnicum ad ciuitatem conſtituendam pactum ideo ſufficere non poſſe arbitrantur, quod hac ratione primas ſocietates ciuiles fuiſſe democra-

ticas,

ticas, & non monarchicas contra omnem fidem hiſtoricam ſtatuendum fore putent. Etſi enim imperium origine totius fuiſſe multitudinis cogitemus, multae tamen ac graues eſſe poterant cauſſae, cur populus illud vni ciui permittere, quam ſibi habere mallet.

XL.

Patet vero non eſſe opus, vt tale pactum expreſſis fiat verbis, ſed et tacitum ſufficere, dum populus communi ſuffragio et adiutorio de ſecuritatis obtinendae ſubſidiis ex vſu ac conſuetudine deliberare ſolet, aut dum infirmiores atque imbeciliores ab iis ſe gubernari patiuntur, de quorum iuſtitia, prudentia et robore magna exiſtit opinio.

XLI.

Non minus inde colligitur, ciuile quod dicimus imperium ex pacto pendere, atque vi originis ſuae penes patresfamilias aliosque ſui iuris homines, vt ius proprium reſediſſe. Et quum ſola violentia vnio voluntatum effici nequeat, ciuitatem inter ſocietates voluntarias eſſe referendam. Cicer. *de LL. III.* 2.

XLII.

Sicut reliquae ſocietates, ita ſocietas ciuilis eſt vna perſona moralis in ſtatu naturali viuens, vnum corpus politicum, iuribus propriis diſtinctisque inſtructum obligationibus. Et quia ciues non ſibi tantum, ſed etiam poſteritati conſulere videntur, eſt quoque ſo-



Digitized by Google

cietas perpetua eoque ſenſu immortalis, quatenus noui ſemper ſocii in eamdem ſuccedunt, vt adeo poſt annos innumeros idem populus manere videatur. *L. 76. D. de iudiciis.*

XLIII.

Quoniam leges ſociales, quae ad totum pertinent populum, *publicae* vocantur, et quidem naturales, ſi ex ipſa populi notione promanant, euidens eſt dari leges ciuitatis vniuerſales, quae porro planae ſint, ac liquidæ, mathematica gaudentes certitudine, immutabiles, neceſſariae, aeternae, vt alibi oſtenſum eſt.

XLIV.

Harum principia ex iis, quae ibidem tradita ſunt, nullo negotio intelliguntur. Principium ſcilicet, quod aiunt *eſſendi*, in non repugnantia ciuilis ſocietatis, *exiſtendi* in actuali eiusdem ſtructura, *cognoſcendi* ſubiectiuum in recta ratione, obiectiuum denique in coetus huius perfectiſſimi fine collocanda ſunt.

XLV.

Ex quo perſpicitur, cur inter iurisprudentiæ naturalis ſocialis partes etiam ius ciuitatis ſit relatum; quod ſi in officiis verſatur *imperantium* et *ſubditorum*, jus ciuitatis *internum* vel publicum vniuerſale, ſi vero officia exponat a populis ſibi inuicem praeſtanda, *ius gentium*, ſeu ius ciuitatis *externum* nuncupatur.

XLVI.

Digitized by Google

XLVI.

Finis ciuitatis eſt ſecuritas. Huic maxime repugnat periculum, quod vel impendet a ſociis *internum*, vel a non ſociis ſeu peregrinis *externum*. Exigit itaque ſalus ſocietatis ciuilis eiusque commune bonum, ne quid ei a ciuibus ſuis periculi ſit, ſed vt omnes potius ſecuritatem tam internam quam externam pro virili præſtent.

XLVII.

Quumque in legum conflictu eo modo inſtituenda ſit exceptio, vt potius finis, quam remedii, boni majoris, quam minoris, totius quam partis ratio habeatur, facile perſpicitur illius axiomatis veritas: ſalutem populi ſaluti ciuium ſingulorum eſſe anteferendam.

XLVIII.

Quibus autem remediis ſalus publica obtineatur, ex ſequentibus elucebit. Abſtinet quis a malo nobis inferendo, vel ex *voluntatis* vel ex *virium* defectu. Deficit voluntas ſiue I. quod laeſionem noſtram vt malam ſibi repraeſentet et virtutem colat, ſiue II. quod nulla rerum indigentia ad eam impellatur, ſiue III. quod nocere volens maius quoddam malum pertimeſcat. Vires laedendi deſunt, quando quis vim reſiſtentem ſuperare potis non eſt.

XLIX.

Quare I. ciues ad virtutem informentur; II. de vitae ſufficientia cuilibet pro ſtatu ſuo proſpiciatur, ne ſtruant tumultus; III. vitia poenis efficacibus compeſcantur, virtutes excitentur praemiis; IV. promtae ſemper ſint vires, quae hoſtilia meditantibus reſiſtant, ea tamen moderatione, vt ne remedium ſit peius malo, datisue alibi de legum conflictatione regulis repugnet.

# CAPVT III.

## DE CIVILIS IMPERII PROPRIETATIBVS.

L.

Quoniam Imperium generatim alibi definitum eſt ius perfectum actiones entis intelligentis pro arbitrio determinandi ad certum quemdam finem, ciuitas vero ſine imperio concipi non poteſt, perſpicuum fit: Imperium ſeu poteſtatem ciuilem contineri iure gubernandi ciuitatem, hoc eſt, actiones omnium ſubditorum ad communem ſecuritatem pro arbitrio dirigendi. GROT. *J. B. & P.* I. c. 3. §. 6.

LI.

LI.

Quotquot exiſtunt ſocietates hypotheticae, illae in ciuitatem veluti partes in totum quoddam deſinere poſſunt. Eſt igitur ciuitas coetus inter rectorios omnium maximus, atque adeo ciuile imperium reliquas omnes humanas poteſtates dignitate et magnitudine antecellit, ac idcirco eminentiore illo *Maieſtatis* nomine fuit inſignitum.

LII.

Ex his porro colligitur, Maieſtatem ita verſari in ciuitate, vt altera ab altera ſeiungi nullo modo valeat. Imperium autem ciuile a nullius alterius hominis arbitrio pendere, eſſe in his terris penitus liberum atque *independens*, neque eius actus alterius cuiuslibet iuri ſubeſſe, aut irritos reddi poſſe. Etſi enim ciues ſinguli ſuas voluntates vniuerſorum voluntati ſubmiſerint, attamen aliorum intuitu, cum quibus nulla fuit ſocietas inita, libertatem naturalem ceteraque omnia retinuerunt iura.

LIII.

Inde autem fluit, poteſtatem hanc ciuilem ſeu Maieſtatem recte *ſummam* nominari. Praeterquam quod enim ſocietates minores, quae in ciuitatis territorio reperiuntur, ſiue illae coniugales ſint, ſiue parentales, ſiue heriles, ſiue domeſticae, aut cuius demum cunque alterius finis cauſſa colligentur,



Digitized by Google

omnes cum ſuis rectoribus ciuili ſubiectae ſunt imperio, ita hoc praeter Diuinum numen neminem alium agnoſcere ſuperiorem poteſt.

LIV.

Et quia nullus rector alius exiſtit in ciuitate, qui Maieſtati non ſubſit, conſequens eſt, vt nec vlla in territorio ciuili poteſtas eidem aequalis reperiatur, adeoque Maieſtas eo ſenſu *vna* atque *vniuerſalis* adpellanda ſit. Quamprimum enim duo illic huiusmodi imperia exiſtere fingeres, vel penitus deſinere ciuitatem oporteret, vel in duos ciuiles coetus diuerſos abire.

LV.

Iura, quae ex notione Majeſtatis intelligi atque explicari poſſunt, *maieſtatica* adpellantur; quorum licet plura quidem, vt in ceteris minoribus imperiis, numerari, adeoque, in partes diſtribui minime repugnet, quia tamen ab ipſa ciuitatis eſſentia atque natura diuelli nequeunt, haud obſcurum eſt, cur inter reliqua maieſtatis attributa illud quoque, quod *indiuidua* ſit, recenſendum veniat. GROT. *L. c.* §. 17.

LVI.

Ideo hominum iura vt prorſus aequalia et inter ſe congrua cogitantur, quia ab ipſa hominis notione promanant. Quum igitur iura etiam maieſtatica ab imperii ciuilis eſſen-

tia

Digitized by Google

tia ducantur, nemo inficias iuerit, *aequalem* apud omnes populos, eamdemque omnino vigere maieſtatem; quare quod vni ciuili ſimpliciter conſideratae licet ſocietati, idem & alteri licere, ac viciſſim, quod vni non licet, nec alteri id licere eſt neceſſe.

LVII.

Neque huic quidquam derogat aequalitati diuerſa ciuitatis forma. Quod enim origine ſua toti populo imperium competit in Democratia, idem quoque in Ariſtocratia aut Monarchia, quam primum totum illud in paucos aut vnum duntaxat translatum fuit, vigere oportet. Neque aliud ſtatuendum eſt, ſi populo iura quaedam maieſtatica ad democraticas, quaedam alia ad ariſtocraticas, quaedam denique ad rationes monarchicas, vel ad harum binas exigere placuerit.

LVIII.

Sed etiam imperium ciuile ipſum a modo illud habendi probe diſcernendum eſt. Ab huius enim varietate perperam quis illius etiam diſcrimen argueret. Sane nec dominia, nec reliqua iura ideo ab inuicem differunt, quod ea iam modo originario, iam deriuatiuo, iam ex contractu benefico iam oneroſo poſſideantur. Quare et maieſtas vna ſemper atque eadem permanet, etſi populus, qui eam initio inſpecto in τῷ *ſuo* habet, diuerſas eius transferendae leges definiuerit. Grot. *L.c.* §. *XI.*



Digitized by Google

LIX.

Quemadmodum porro a maioribus patrisfamilias aut hominis alterius viribus ac corporis proceritate, ad ſtatum inaequalitatis moralis non valet collectio, ſed quodlibet familiae caput naturaliter iisdem in domo ſua vtitur iuribus, ita ii magnopere hallucinantur, qui iura maieſtatica et imperium ciuile ex numero ciuium, territorii amplitudine, aliisue potentiae phyſicae adminiculis eſſe putant aeſtimandum.

LX.

Maieſtatem absque ciuitate eſſe nullam, hanc autem pacto coaleſcere, et finibus diuini numinis quam maxime conuenire, ſupra eſt oſtenſum. Vnde manifeſto conſequitur, ſpeciatim conſideratam maieſtatem principium quoque ſuum proximum quidem in conuentione, remotum vero in ipſa Dei voluntate poſito officiorum conflictu habere, eo ſcilicet modo, quo ipſas naturae leges proxime ab hominis natura, remote autem a liberrimo Dei ipſius arbitrio deriuauimus. VICTORIA *relect. III. de poteſt. ciuil. IV.* I. *ſeqq. v.* OSEE *c. VIII. v.* 4.

LXI.

Sicut porro haec explicandi ratio contra legum naturalium ſanctitatem minime venit, ita et illud maieſtatis attributum, quod nimirum *ſancta* ac *inuiolabilis* ſit, haud quaquam

im-

Digitized by Google

imminuit, quia nec ius imperii, a vario illud habendi modo immutari, abunde demonſtrauimus. Concina *Th. Chr. T. VI. diſt. IV. c.* 2.

LXII.

Nititur vero ſanctitas imperii ſumma, qua munitum eſt, ſanctione poenali. Si enim grauiſſima illa habetur laeſio, quae plurimis infertur, et eatenus maximam meretur imputationem, nullum profecto inter officia erga alios homines maioris eſt ponderis, quam a ciue non violari ciuitatem, cui ſociale pactum Auctorisque naturae voluntas ita eum ſubiicit, vt orto conflictu propriam ſuam tanquam partis ſalutem negligere potius, quam totam diſcrimini exponere ſocietatem teneatur.

LXIII.

Menſuram iura maieſtatica accipiunt tum ex communi Imperii notione, tum ex ſocietatis ciuilis fine; quamobrem ſe ad ea extendunt omnia, ſine quibus nec ſociatam dirigere multitudinem, nec eius ſalutem liceret efficere. Haec vero iura ſi in ipſos ſe exſerunt ſubiectos *immanentia*, ſiue interna, ſi in extraneos, *tranſeuntia* ſiue externa nuncupantur. Priora quoque iura imperii ſpeciatim, poſteriora iura libertatis naturalis dici ſolent.

LXIV.

Digitized by Google

LXIV.

Poſſunt homines in ſtatu naturali viuentes aliorum implorare auxilia, ſeque in eorum patrocinium et clientelam conferre pacto inito, atque hiſce ipſis ſocietates civiles ſibi ſaepius conſulere ſolent ſubſidiis. Aſt vti homini propterea nihil de ſua perſonali decedit libertate, ita nec ciuitates huiusmodi conuentionibus ſummam violant Imperii Maieſtatem, quin potius eamdem magis confirmare conantur. Grot. *L. c.* §. *XXI.* Cic. *Off. II.* 8.

LXV.

Nec minus ſua ciuili imperio conſtat ſummitas, etſi populus vi pactionis alteri populo aliquam concedat praerogatiuam, eiue quaedam honoris aut reuerentiae ſigna exhibere, ac ipſius imperium comiter venerari & conſeruare teneatur, nec enim qualibet praerogatiua tolli libertatem alibi docuimus.

LXVI.

Atque eamdem ob cauſſam dubium eſſe nequit, quin ſummum ii retineant imperium, qui alteri genti annuam penſionem, ſiue eam ſtipendium eſſe dicas, ſiue tributum, pendere neceſſe habent. Nec enim contracto aeri alieno ſtatim ſubiectio cohaeret, quippe quod non ex creditoris imperio, ſed ex pacti natura perſoluendum eſt. Quid quod etiam annuis eiusmodi ſubſidiis potentiores ſaepe

ſub-

Digitized by Google

ſubueniunt infirmioribus? GROT. *L. c.* §. *XXII.*

LXVII.

Denique quum in nexu feudali non ſemper ſimul promittatur ſubiectio, ſed fides detur, certa dumtaxat praeſtandi ſeruitia, curamue adhibendi, ne quid in alterius fiat praeiudicium, manifeſtum eſt: eius generis conuentionem, quae non tam ius quam illius habendi modum afficit, nihil de ſumma ciuili poteſtate delibare. Quamuis vero quis ob perfidiam priuari feudo poſſit, attamen ea priuatio non ex iure imperii, ſed ex illo iure deſcendit, quo aequalis laeſus contra laedentem ſibi aequalem vtitur.

LXVIII.

Tum vero exiſtit demum ſubiectio, ſi eo pertineat pactum, vt populi vnius ſocii ab alterius populi nutu aliquando pendere, eius ſe ſubmittere iudicio, & particula quadam maieſtatis pro ipſius arbitrio vti obligentur. Etſi enim tunc populus legibus ceteroquin ſuis viuere permittatur, nihilominus ei precaria tantum ſupereſt libertas, quo ipſo etiam veri nominis Maieſtas euanuit. L. 7. D. *de capt. & poſtl. rev.* Grot. *l. c.* §. XXI. & Barbeyrac. *ibid.*

LXIX.

Ceterum quibus capitibus iura omnia maieſtatica contineantur, non eadem eſſe vide-

detur Doctorum ſententia. Nos haud grauatim eorum partitionem amplectimur, qui ciuile imperium I. Iure *legum ferendarum*, dein II. Iure actiones ac res omnes ſubditorum, ſiue ii ſinguli ſint, ſiue in minores collecti ſocietates, *inſpiciendi*, demum III. Iure conſilia, quae ad bonum publicum capiuntur, *exſequendi* concludunt. Vnde triplex illa poteſtas, quam legislatoriam, inſpectoriam, & executoriam vulgo nominant, promanat. v. Grot. *l. c.* §. VI.

# CAPVT IV.

## DE IVRE FERENDARVM LEGVM.

### LXX.

Illa eſt imperii natura, vt imperans actiones ſubiectorum pro ſuo arbitrio ad ſocietatis finem determinare valeat. Voluntas imperantis ſufficienter declarata, vt ſubditi actiones ſuas ad eam componant, *Lex*, arctiore ſignificatione, nominatur. Itaque imperantem ciuilem legum ciuilium ferendarum iure gaudere non ambigitur, quippe ſine quibus, vt corpora noſtra ſine mente, ſic nec ciuitas ſuis partibus, vt neruis ac ſan-

Digitized by Google

ſanguine et membris, vti poteſt. CIC. *pro Cluent.* 53. *de LL. III.* 1.

LXXI.

Duplici autem ratione ius hoc ſeſe exſerit, prout leges ab ipſa ciuitatis eſſentia, vel a rebus cuiuslibet ſocietatis incidentibus repetuntur. Horum itaque fontium alter cuiusque populi communis eſt, alter ſingularum ciuitatum proprius. Sic vt hoc utar exemplo, nuſquam obligatio parendi aut ſecuritatis procurandae abeſſe poteſt; contra an rerum quarumdam commercium praecipere vel prohibere e re ſit populi, id ex loco, tempore, perſonis, ceterisque adiunctis eſt iudicandum.

LXXII.

Priores leges immortales, neceſſariae, vbique eaedem, mutarique neſciae, poſteriores fortuitae ſunt, mutabiles, & quum a diverſis euentibus pendeant, pro iisdem variandae. Ceterum tunc perfecta erit ciuilis legislatio, ſi leges a loco, tempore et adiunctis deſumendae cum iis, quae ab eſſentia ciuitatis ducuntur, concordent. Liv. XXXIV. 6.

LXXIII.

Quicunque in ciuitate ſunt, ii non remedia modo ad finem communem neceſſaria, ſed et illa, quae circumſtantiis ſingularibus nituntur, cognoſcere debent, vt actiones ſuas iis adtemperare queant. Qua cognitione

ne ſi omnes aeque pollerent, et pari ſalutis publicae amore tenerentur, vix opus foret, leges nouas ferre. Sponte enim ſua quisque ſine lege fidem rectumque coleret. Ovid. *Metam. I.* 89.

LXXIV.

Quum vero, quas varia tempora deſiderant actiones, cuncti ingenio proprio intelligere antecedenter nequeant, neceſſe eſt, vt qui ciuitatem gubernant, ſeu *Regimen* gerunt, ciuibus haſce agendi normas declarent. Atque, quum pluribus ſaepe idoneis aeque remediis idem obtineatur finis, illud quod imperanti praeplacet, ipſe manifeſtare debet.

LXXV.

Sed & inde legum neceſſitas maxime elucet, ſi in animum inducas tuum, eos quibus iurium maieſtaticorum exercitatio committuntur, homines eſſe, a quibus aliquando impetres, vbi ius, vbi iniuria opus ſit, eſſe gratiae locum, eſſe beneficio; et iraſci et ignoſcere poſſe: inter amicum atque inimicum diſcrimen noſſe. Leges vero rem ſurdam, inexorabibem eſſe, ſalubriorem melioremque inopi, quam potenti: nihil laxamenti nec veniæ habere, ſi modum exceſſeris. Liv. *II. c.* 3.

LXXVI.

Leges ciuiles fortuitae toties libertatem ciuium naturalem imminuunt, quoties eadem

rei-

Digitized by Google

reipublicae nocere poſſet. Quid autem hic et nunc damno reipublicae cedat, iis dumtaxat cognitum eſt, qui non modo aliqua, ſed omnia eius euenta penetrant. Sane aliquando mala quaedam ob eorum conſtictum toleranda ſunt, quae ſi impedire conetur imperans, maioribus etiam incommodis ciuitatem ſubiiceret.

LXXVII.

Leges igitur mutabiles non prius quis ſuadere poteſt, quam vbi omnia negotia perſpexerit ſocialia; quod quum humanae imbecillitatis vires fere excedat, communis inde conſilii vtilitas ſatis intelligitur. Niſi enim, qui vni dant operam aedificio, conferant inter ſe conſilia, ſingulae licet eius partes bene compoſitae ſint, ſin tamen mutuo ſibi non reſpondeant, totum perfectione ſua carebit.

LXXVIII.

Quae legum ciuilium requiſita ſint, haud difficulter ex dictis eruitur. Scilicet I. promulgatione indigent, et quidem idiomate vulgari; nec enim aliter obligant, quam ſi in omnium notitiam peruenire poſſint. II. Quae vago nituntur edicto, poſterorum fere oculos effugiunt, et in obliuionem ire ſolent; niſi igitur aliquando publicatione e tenebris educantur, parum iuſte ignaro ſubdito imputaretur earum trans-

greſſio; vt adeo ſit conſultum eas vno atque conſtanti codice complecti.

LXXIX.

III. Sint breues, facili & plano ſcriptae ſtylo, quemadmodum diuinus Legislator in decalogo eas tulit. Non enim omnibus ſubditis aeque tenax ſiue memoria ſiue iudicium obtigit. IV. Conciſae & determinatae, ne vaga eas corrumpat interpretatio. V. Paucae, quia vt PLATO obſeruat, * vbi plurimae leges, ibi & lites & mores improbi. VI. Accedant, quam maxime ad legis naturalis ſimplicitatem, vt ſpes ſit, eas quam diutiſſime duraturas.

LXXX.

Illud etiam conſiderandum eſt, legum ciuilium diuerſas eſſe formas. Quae enim ad ſtatum ciuitatis, quatenus eſt perſona moralis, pertinent, ſunt *publicae*, quae ad perſonas ſingulorum vel patrimonium, *priuatae*. Dein illae, quae iura rerum atque dominia, deque his diſponendi modum definiunt, ſpeciatim *ciuiles*, eae contra, quae poenas delictis vel quaſi, id eſt, actionibus dolo culpaue inſignibus, decernunt, *criminales* adpellantur.

LXXXI.

Harum autem omnium fons is eſt, qui vtitur maieſtate, earumque vis non iam ex ſolo

* *Ap. Strab. Geogr. IV.* TAC. *Ann. III. 27.*

Digitized by Google

ſolo naturae iure, ſed proprie ex communi ciuitatis ſponſione *) fluit. Nec audiendi ſunt, qui dicunt, legibus ſocietatis primos tantum illius conditores, non horum poſteros ſe ſubiecisse. Dum enim quis in ciuitate naſcitur & educatur, in eam venit, ac eo ipſo ſe ſubmittit. Abſurdum autem foret, velle eum eſſe participem commodorum, onera vero atque incommoda ſubterfugere.

LXXXII.

Quoniam leges omnes vel ex notione ciuitatis, vel a rebus circumſtantibus promanant, priores quoad materiale, ſeu edictum, naturales vocantur. Poſteriores tam ratione edicti quam ratione ſanctionis ſunt poſitivae, & in rebus obiectiue indifferentibus verſantur. Pone, lege ciuili furtum ſub poena mortis prohiberi; haec erit materialiter naturalis, formaliter vero, ſeu quoad poenam, poſitiua. Contra lex de ſeptem adhibendis in teſtamento teſtibus tam materialiter quam formaliter poſitiua cenſenda eſt, quod nihil eorum ſola ratione conſtet, atque indifferens ſit ſeptem vel octo teſtes definire.

LXXXIII.

Ita vero ferendae ſunt leges poſitiuae, vt non aduerſentur naturalibus, quarum mutatio diuinae naturae ipſisque rerum eſſentiis repugnaret. Poteſt igitur legislator ciuilis



* L. 1. D. de LL.

leges declarare naturales, iis ſpecies adplicare obuenientes, nouis quin immo praemiis aut poenis munire, iuribus permiſſiuis detrahere, obligationibus demum naturaliter imperfectis ius cogendi ciuile adiicere. V. EXOD. XXI. & XXII. v. 1. LEVIT. XIX.

LXXXIV.

Hinc fit, vt imperans ciuilis actionibus ſubiectorum certam iure praeſcribat formulam, aetatemque, qua varia obire negotia liceat, determinet; atque porro promiſſionibus, pactis, contractibus, matrimoniis & ceteris tam inter viuos, quam mortis cauſſa diſpoſitionibus modum & normam ſtatuendi habeat poteſtatem, dummodo nihil definiat, quod diuini Numinis voluntati ſit contrarium. Impia certe eſt HOBBESII opinio, omne honeſtum aut inhoneſtum a ciuili lege dependere. *de Ciue VI.* 9. *XIV.* 10.

LXXXV.

Qui vero ciuitatem ingreſſi ſunt, naturalem ſuam libertatem communi ſubiecerunt imperio, & in nihil ſe conſentire velle promiſerunt, quod imperanti diſpliceret; qui proinde ſubditorum anteuertere conſenſum poteſt. Quare horum diſpoſitio vtpote de iure alieno facta, & ab illa conditione, ſi non prohibeatur, pendens, irrita penitus eſt lege imperantis refragante. *L. 5. C. de LL.*

LXXXVI.

Digitized by Google

LXXXVI.

Et quoniam leges ciuiles remedia ſunt ad conſequendum ciuitatis finem, liquet, obiectum earum non eſſe illa, quae ad hunc promouendum haud conducunt, neque vllum cum eo nexum habent, & ab hominum imperio natura ſua eximuntur, veluti cogitationes; multoque minus, quae vel vetita, vel praecepta manifeſtum ciuitati adferrent detrimentum. Quare dantur actiones ſubditorum, quae foro ciuili haud ſubiacent, ciuiliter indifferentes, in quibus reſiduum quid adeſt libertatis naturalis, quae *libertas ciuilis* dicitur.

LXXXVII.

Si tamen dubitetur, an legislator ciuilis de rebus a foro ſuo alienis quid ſtatuat, ius bonae alterius exiſtimationis connatum violaret, qui legi ſe ſubducere vellet. Praeſumtio igitur pro legislatore pugnat, cuius eſt ſingulares noſſe circumſtantias, bonumque ciuitatis optime perſpicere. Quare manente dubio ſubditis ſolum ſupereſt parendi gloria: poterunt tamen, quae videntur ſubeſſe legis incommoda, imperanti ob oculos ponere, vel, vt aiunt, *repraeſentare.*

LXXXVIII.

Denique quia leges ciuiles ſibi ſubiectos non alia ratione nos tenent, quam quia imperans vult, facile etiam reliqua, quae ad po-



Digitized by Google

teſtatem legum ferendarum pertinent, perſpiciuntur. Ita I. habet ius legem fortuitam abrogandi, ei derogandi, & ex iuſta cauſſa vel perſonam ſingularem vel certum ciuium genus lege ſoluendi ſeu *diſpenſandi.*

LXXXIX.

Nec obloquaris, inutilem eſſe diſpenſationem, quod ea illicita ſit, ſi ratio legis duret, hac vero ceſſante neceſſaria amplius haud eſſe videatur. Enimuero ſi ratio reſpectu omnium ceſſat, aut plane abſurdum ex legis implemento ſequitur, tunc quidem ſola aequitas ciues a lege eximet; ſi tamen lex intuitu vnius dumtaxat & ſolum negatiue ceſſet, vt nimirum ſine vlla abſurda conſecutione poſſit cuſtodiri, tum vero ad diſpenſationem omnino recurrendum eſt.

XC.

II. Imperans poteſt legem ſuam interpretatione authentica vel reſtringere, vel extendere, aut obſcuram declarare. III. Qui maieſtate gaudet, legibus mere ciuilibus non eſt ſubiectus, repugnat enim obligatio a ſolius obligati arbitrio pendens. IV. Etſi vero leges naturales nullis ſubeſſe mutationibus alio loco demonſtratum eſt, ſaepe tamen etiam actiones ab iisdem diſſentaneae in foro externo permitti ſeu tolerari impune poſſunt.



Digitized by Google

XCI.

Ciues generatim aequali inter ſe iure vtuntur, niſi ob bonum ciuitatis libertas vnius vel augeatur, aut imminuatur; cuiusmodi lex priuata in fauorem vel odium alicuius quid ſpeciale conſtituens *priuilegium* vocatur, quod porro in *fauorabile* & *odioſum* abit. Fauorabile rurſus *gratuitum* eſt, ſi ex gratia, *oneroſum*, ſi aliqua permutatione obtineatur. Dein ſi vni ſoli tribuitur perſonae, priuilegium ſtricte tale, & quidem *reale*, audit, ſi in haeredes tranſeat, *perſonale*, ſi cum perſona exſtinguatur.

XCII.

Illud denique priuilegium, quod certo rerum aut perſonarum generi veluti agriculturae, feminis, minoribus conceditur, beneficium legis ſeu *ius ſingulare* vocatur. Ceterum ineſt in priuilegio fauorabili quaedam diſpenſatio. Ab ea tamen differt, quod haec ius dumtaxat negatiuum tribuat, & libertatem moralem reſtituat, illud vero ius poſitiuum largiatur, atque in certis negotiis obeundis ciui ſpeciatim adſiſtat.

XCIII.

Fluunt hinc ſequentes concluſiones: I. Ius dandi priuilegia eſt ius maieſtaticum, adeoque nemini niſi imperanti competens. II. Conceditur priuilegium extraneis etiam, quatenus vel ipſi vel res eorum ciuitatem ingre-



Digitized by Google

diuntur, ac eatenus in ſubiectionem veniunt. III Priuilegia mere gratuita ſaepe naturam precarii induunt, & tunc ab imperante pro lubitu reuocari poſſunt. Grot. L. *II. c. XV.* §. 13.

XCIV.

IV. At oneroſa & quae pretio redimuntur, nequeunt auferri, niſi ob commune bonum, qua in ſpecie praeſtanda etiam priuilegium habenti indemnitas, haec vero V. non debetur, ſi ipſe conditionibus priuilegii haud ſatisfacit, eo abutatur, aut illud plane in publicum detrimentum conuertat.

# CAPVT V.

## DE SVPREMA IMPERANTIS INSPECTIONE ET IVRE POLITIAE.

XCV.

Cognitio morum, temporum, rerumque, in quibus respublica verſatur, neceſſaria eſt iis, qui gubernant ciuitatem; nec enim aliter iure legum ferendarum apte vti, nec obligationi communem promouendi felicitatem ſatisfacere iis liceret. Itaque ad iura Maieſtatica ius quoque ſupremae Inſpectionis referendum eſt, vi cuius nimirum imperanti ea omnia, quae ad ſalutem publicam pertinent, veluti actiones, res & operas ſubditorum examinare ac cognoſcere concedatur.

XCVI.

Digitized by Google

XCVI.

Atque hanc ob cauſſam poteſtas ciuilis non modo aetatem, numerum, pecunias, vitae genus ſeu labores ciuium ſingulorum inueſtigare poteſt, ſed etiam in cunctas minores ſocietates inquirere, ne quid committant, quod ſecuritati et quieti ciuitatis adferret detrimentum, quin potius earum conſilia in commune totius populi bonum conſpirent.

XCVII.

Ita nimirum otioſi ciues incitantur ad labores, improbi vel ad meliorem reducuntur frugem, vel ne probos contagione ſceleris contaminent, omnino ab his ſeparantur. Huius denique inſpectionis beneficio pernicioſa etiam coniugum diſſidia, nimia parentum in liberos vel ſaevitia, vel indulgentia, crudelitas dominorum in famulos, aliaeque vitioſae conſuetudines praecaueri, atque emendari poſſunt.

XCVIII.

Societas aequalis ad artis ſiue liberalis, ſiue illiberalis, immo et ad communis cuiusdam iuris exercitium vnita *collegium* dicitur, ſeu *ſodalitium*; eſtque aliud *publicum*, ſi in iuribus maieſtatis adminiſtrandis, aliud *privatum*, ſi in rebus ſingulorum gerendis occupetur. Ita Romae collegia Senatorum, Pontificum, Praetorum, Tribunorum erant



Digitized by Google

publica, collegia Fabrorum, piſtorum, fratrum arualium, priuata.

XCIX.

*Iuſta* ciuiliter eſt ſocietas, quae legi ciuili non repugnat, ſecus eſt *iniuſta.* Quum vero legum omnium ciuilium fons reperiatur in Maieſtate, conſequens eſt, vt eidem ſit poteſtas, collegia et ſodalitia dum velit, inſtituendi, vel eorum ſcopum ſaltem et regulas cernendi, ac porro prout fini ciuitatis conſentanea ſunt, vel diſſentanea, eadem ciuiliter iuſta aut iniuſta declarandi. Itaque compertum eſt, coetus, qui naturaliter licerent, conſtitutis ciuitatibus latisque legibus ciuilibus haud amplius vi propria valere. *L.* I. *D. de coll. & corp.*

C.

Is actum confirmat, qui nouas ei valeris addit rationes. Competit igitur Imperanti ius non modo ſingulorum ciuium ac familiarum negotia et conuentiones, ſed etiam pacta ſiue ſtatuta collegiorum confirmandi. Quorſum porro et ius pertinet vicos, pagos, vrbes, ſtudiorum vniuerſitates et commerciorum ſodalitia erigendi vel reprobandi, ac quae huius ſunt generis.

CI.

Fit ſaepius collegii confirmatio ſub certis conditionibus, quae locum ac modum ſocios recipiendi, horum labores, numerum, aeta-

Digitized by Google

aetatem ac ceteras qualitates requiſitas deſignant. Fac vero collegium praeſcriptam hanc normam excedere, et iam erit ciuiliter illicitum. Eſt autem huiusmodi confirmationis eo maior neceſſitas, quo magis multitudo ad nocendum eſt idonea.

CII.

Quamprimum vel ſingulorum ciuium negotia vel inſtituta minorum ſocietatum reipublicae noxia ſunt, aut rerum conuerſione facta periculum ex iis redundat in ciuitatem, ius ineſt imperio ciuili, quo huiusmodi actus reprobentur, atque irriti fiant; tum etiam ſodalitia et corpora vel corrigantur, vel adiecto conuentibus adſeſſore coerceantur, vel ſi quorundam animis inemendabilis illabatur pernicies, diſſoluantur. *L.* 5. *Cod. de* LL. *L.* 3. *D. de coll. & corp.*

CIII.

Determinatio remediorum, quibus ciues patrimonium ſuum tueri, illud augere, et commode viuere queant, dicitur *Politia* ſtrictiore ſignificatione. Quum poſita rerum ſufficientium inopia ſecuritas non poſſit in ciuitate obtineri, in propatulo eſt, inter iura maieſtatica etiam ius Politiae eſſe adſcribendum. Atque hoc iure utitur imperans vt ſubiectis pro ſua cuiusque conditione ac ſtatu de rebus neceſſariis immo etiam de uti-

Digitized by Google

vtilibus ac voluptuariis proſpiciat; vtque hoc modo ſingulis in quiete, ac quoad eius fieri poterit, etiam in abundantia et munditie vitam liceat tolerare. III. REG. *IV. v.* 20. & 25.

CIV.

Itaque vi iuris politiae imperans annonae curam atque lignorum gerit, vias a latronibus tutas reddit, modum incendia praecauendi ac prompte exſtinguendi praeſcribit, omnium vero ſanitati contra ingruentes morbos inſtitutis Medicorum et Chyrurgorum collegiis, ac prophylacticis inuigilat remediis.

CV.

Sed et pretium rebus et operis neceſſariis ſtatuit, ne vnquam ciues ad labores prompti atque idonei illis deſtituantur. Pro mendicis vero et labori imparibus fundat orphanotrophia, ptochotrophia, xenodochia, noſocomia, atque ab iis validos arcet mendicantes, quos vel inuitos in ergaſtulis operas pro alimentis cogit permutare. COD. IUSTIN. *de Valid. Mendic.*

CVI.

Ex hoc eodem fonte porro conſequitur, vt is, cui competit Maieſtas, pondera definiat atque menſuras, ne contrahentes ſe inuicem defraudandi arripiant occaſionem; vtque auri, argenti aerisque flandi, feriundi

Digitized by Google

di facultate vel ſolus vtatur, vel ſi monetam cudere aliis permittat, formam tamen et valorem eiusdem determinet, caueatque, ne ex re monetaria ciues quidpiam detrimenti patiantur. *L.* 13. *§.* 8. *D. Locat.* Nov. *CXXVIII.* c. 15.

CVII.

Studet ciuile imperium ſubiectorum vtilitati, ſi agrorum culturam per pagorum *magiſtros* certis propoſitis praemiis aut etiam poenis promoueat; ſi opificia varii generis et naturae territorii accommodata erigi ac in dies perfici curet; ſi commercia denique tam inter ciues quam cum exteris per mercatus, nundinas, emporia, et montes pietatis inſtituat, adiuuetque, ac eam in rem ſollicite diſpiciat, ne negotiatorum fraudibus locus fiat.

CVIII.

Et quum in ciuitate fugiendi ſint inutiles labores, et ordo familiarum conſeruandus, neceſſe vtique fuerit perimere artes vanas, ineptos tollere operarios, nullumque pati vitae genus, veluti doctorum, opificum et mercatorum, quod nimia multitudine laboret. Quae omnia efficiendi poteſtatem imperanti competere res eſt longe manifeſtiſſima.



Digitized by Google

CIX.

Ciuium iucunditati conſulitur, ſi ad mores humanos, comes, vrbanos et feſtiuos informentur, ſi aedificia tam publica quam priuata non modo ſolide, ſed etiam decore exſtruantur, ſi denique honeſtum quoddam pateat ludorum et gaudiorum genus, quo ciues et corpus exerceant, et in ſeriis curis puſillum laxamenti nanciſcantur. Nemo itaque negauerit et horum ordinationem ad ciuilis imperii iura pertinere.

CX.

Nihil autem magis ad reipublicae tranquillitatem conducit, quam diſciplinarum cultura et virtus, ſiquidem peſſimus quisque aſperrime rectorem patitur; inde elucet ius imperantis ea omnia praecipiendi, quae dum intellectum perficiunt ſubiectorum, et voluntatem, legibus quoque conuenienter viuendi ſuppeditant occaſionem.

CXI.

Eſt igitur ius maieſtaticum artium liberalium et illiberalium veluti agriculturae et opificiorum ſcholas curare, tum lycea, vniuerſitates et academias, in quibus tradendis excolendisque ſcientiis aſſidua detur opera, inſtituere, ex hiſce vero eligere viros probos doctosque, qui ad ciues in officio continendos et virtutis admonendos omni ſtudio incumbant; ſpeciatim vero pupillis de tu-

Digitized by Google

tutore idoneo proſpicere, et ſupremam tutelarum inſpectionem habere.

CXII.

Contraria ratione Maieſtati eſt ea vetandi poteſtas, quae male agendi praebent ſubſidia, ex quo fluunt leges *formulariae*, quae leuitatem in paciſcendo coerceant, dein *ſumtuariae*, quibus luxui tam in nuptiis et funeribus, quam in veſtibus potiſſimum peregrinis cibisque modus ponatur, ne ciues inutiliter opes perdant, atque ſanitatem.

CXIII.

Pari iure prohibentur in quibusdam gradibus matrimonia propter incontinentiae periculum, aſtrologia nugatoria perimitur, et circulatorum impoſtura, porro bibendi reſtringitur atque aleae licentia, quae fraudes, furta, ſuperſtitiones nutrit, venalem reddit pudicitiam, et familias ſpoliat; res denique libraria prudenti cenſura limitatur. Ierem. X, 5. *L.* 4. *§. D. fam ercis.*

CXIV.

Creſcente ciuium numero vires quoque et opes ciuitatis creſcere neceſſe eſt; quamobrem iure politiae cura continetur, vt procreatio liberorum pariter ac educatio promoueatur. Eſt itaque imperantis non modo expellere feminas quaeſtuarias, aut ſaltem ad loca remotiora relegare, ſed et fidem munire coniugalem, morem faciendi

cu-

eunuchos abolere, praemia nuptiis, plurimumque liberorum genitoribus aliquam immunitatem concedere, caelibes autem incaſtos a variis ciuilibus excludere iuribus.

CXV.

Quia tamen non poſſunt mala impediri omnia, et porro danda opera, vt ea in commune quoddam vertantur bonum, non leuiter paucitati ſubditorum ſubuenietur, ſi loca idonea parentur, quibus puerperae innuptae vel pauperes mature ac ſine famae iactura excipi poſſint, celandi vero ventris facilitas, praecepta cuique delatione, aliisque artibus adimatur.

CXVI.

Nec ideo metuendum eſt, feminas ad flagitia inuitari; ſatis enim fuerit, parentum aut tutorum in educando negligentiam acerbius punire, in viros autem plerumque impudicitiae auctores grauiorem, quam vulgo fieri ſolet, et cuiusuis facultatibus conſentaneam ſancire mulctam, eamque alendae matri et partus nutritioni adplicare. Alienum enim eſt a ratione, factum cauſſae praecipuae minus imputare, quam cauſſae ſubiectae, quae etiam ſolo metu imminentis mali ad ſaeuiendum in foetum innocentem ſit procliuis. Sed de his remediis in prudentia politica agendum eſt.

CA-

Digitized by Google

# CAPVT VI.

## DE POTESTATE IMPERANTIS EXSEQVENTE.

### CXVII.

Niſi leges in republica obſeruentur, ipſas nullum vſum, vtilitatem nullam habere palam eſt. Hinc ſalus ciuitatis exigit illam imperantis facultatem, per quam ea, quorum vel neceſſitatem vel commodum perſpexit, atque ideo praecepit aut vetuit, executioni quoque mandentur. Vnde manat imperantis poteſtas ea in actum deducendi, ſeu exſequendi, quae fini ſocietatis ciuilis conducunt. Horat. III. Od. XXIV. *v.* 35.

### CXVIII.

Huc ſpeciatim pertinent I. Ius armorum, II. Ius territoriale, III. Poteſtas iudiciaria, IV. Ius puniendi, V. Ius circa bona ciuitatis, et VI. munera publica, quae quidem omnia in perſonis et rebus ſocietatis verſantur. Quibus deinde accedunt iura belli, pacis, foederum, ac legatorum, nonniſi aduerſus exteros populos ſe exſerentia, ideoque in iure gentium tractanda.



Digitized by Google

CXIX.

Arma dicuntur res omnes aptae ad vim vel alteri inferendam vel amoliendam, facultas vero ea in promptu habendi, iisque pro re nata vtendi *ius armorum* nuncupatur. Quia itaque imperans ſocietatis ciuilis finem ſeu ſecuritatem niſi turbatorum violentiae reſiſtat, obtinere nequit, euidens fit, inter iura maieſtatica armorum quoque ius reperiri, atque ſine viribus parum tutam eſſe Maieſtatem. *Liv. II.* 55.

CXX.

Quapropter ius imperantis eſt ſolius de bello et modo, quo id geri debeat, arbitrandi, vt adeo non iam ſinguli, ſed vniuerſi fini ciuitatis conſequendo proſpicere cenſeantur. Quo reuocatur jus perſonas, per quas cauetur, ne vis fiat cuipiam, nominandi tam *vigiles* pro ſecuritate interna, quam *milites* pro externa. *Cf.* Grot. *L. I. c. V. §.* 1. *ſeq.*

CXXI.

Inde porro deſcendit ius conſcribendi milites, habendi delectus, immo et peregrinos conuenta formula, vulgo capitulatione, viuentes conducendi; ius armamentaria publica conſtituendi, exſtruendi munimenta, et praeſidia ponendi; hinc ius cogendi ciues, vt pro omni adparatu militari laborent, et annonam procurent; ius caſtra ha-

bendi,

Digitized by Google

bendi, metationes praeſcribendi, inualidos milites per pagos diſtribuendi, vt ſimul ruſticos militaribus inſtruant exercitiis; ius denique leges condendi militares eiusque generis reliqua.

CXXII.

Quia tunc tranquillitate interna fruimur, quando nullae adſunt cauſſae, ex quibus pericula ab improbis incutienda praeuidere liceat, inter maieſtatis quoque iura referendum eſt *ius actiones eorum dirigendi, qui in ciuitate exiſtunt, ne ciues laedantur*, vt cuique ſuum tribuatur. Quorſum leges pertinent, ne quis noctu ſine lumine ambulet, ne arma a paganis geſtentur, ne pharmacopolae venena promiſcue vendant, aut agyrtae medicinam faciant.

CXXIII.

Quum territorium ſit locus, vbi imperium ciuile exercetur, patet: imperantem pollere iure efficiendi, ne illi, qui in ciuitatis ſunt territorio, leges violent perfectas, ſiue habeant *domicilium*, hoc eſt, habitationem animo ibidem perpetuo manendi, ſiue non habeant. Hoc *ius* nonnulli *territoriale* adpellant.

CXXIV.

Ex his conſequitur: I. Vt ius hoc territoriale ad actiones tantum negatiuas ſeu omiſſiones ſpectet, exempli cauſſa, ne quis

territorium accedat, vel tranſeat; II. Vt illud etiam cum peregrinis exerceatur, qui tamen ad actiones affirmatiuas cogi nequeunt, niſi ſub hac conditione admittantur: quae ratio eſt, cur quilibet foro delicti ſubiiciatur. III. t etiam in imperantes extraneos competat, quia horum maieſtatem haud imminuit.

CXXV.

IV. Vt adeo poſſit imperans iis quidem ingreſſum denegare, qui ſe non ſubiiciunt, nec legibus affirmatiuis teneri volunt: at quando alium admittit imperantem, id facere ſalua eius aequalitate cenſeatur. Quare non obſtat illud vulgatum: extraneos territorium ciuitatis ſubeuntes ciues fieri temporarios, nam et hi ſubiecti non fierent, niſi iam antea tales fuiſſent.

CXXVI.

Nec minus inde pateſcit V. ſi ius quoddam in ſuo territorio ciuitas alteri concedat, velut habendi praeſidii, tum id ius non eſſe maieſtaticum, ſed ſeruitutem quamdam gentium potius producere, de qua alibi. VI. denique quum ius territoriale ſit maieſtaticum, illi, qui non gaudet maieſtate, id proprie competere non poſſe, etſi iuribus aliis maieſtati analogis fruatur.

CXXVII.

Digitized by Google

CXXVII.

Quandoquidem ex dictis conſtat, imperanti eſſe ius determinandi bella, modumque ea gerendi, nec patiendi, vt ciuibus vis inferatur, quin immo efficiendi, vt reſarciatur laeſio, et iniuriae iis illatae vindicentur, denique ſuum cuique tribuatur, Maieſtati etiam ius de ſubditorum litibus iudicandi, easque decidendi, ſeu *ſuprema iurisdictio* vel *poteſtas iudiciaria* recte attribuitur.

CXXVIII.

Pone enim, id ius ſupremae iurisdictionis maieſtati non cohaerere, et iam nihil proderit inſtitutio ciuitatis. Inde vero haud conficitur, iura naturalia ſtricte talia in ſtatu ciuitatis deſiiſſe; alius enim dumtaxat ea exercendi modus eſt definitus, quem ſola non determinat natura, ſed qui ab iis, quae circumſtant, rebus ſimul pendet; quare nec imperanti duriora licebunt remedia, quamdiu ſuperſunt leniora. *L.* 13. *Dig. quod. met. cauſ. L.* 276. *de R. I.*

CXXIX.

Abſque cognitione cauſſae huius deciſio fieri nequit, deciſione vero opus eſt, ſuum vt cuique tribui poſſit. Itaque in poteſtate iudiciaria ineſt ius cauſſas ſubiectorum controuerſas cognoſcendi, ſententias, quibus ea decidantur, ferendi, atque exſequendi, tum partem victam, ni ſponte ſoluat, adi-



Digitized by Google

gendi, vt praeſtet illud, in quod fuit condemnata.

CXXX.

Hinc autem liquet. I. Iudicium legitimam eſſe diſceptationem cauſſae a ſuperiore, vel ex eius iuſſu factam. II. Ordinem iudiciorum naturalem conſiſtere, in 1) petitione actoris, 2) rei exceptione quoad factum vel ius, 3) probationibus earumque eliſionibus, 4) ſententia ferenda; vanas autem a Iudiciis dilationes eſſe repellendas.

CXXXI.

Porro III. iudicium tribus conſtare perſonis; actore, qui imputat factum, reo, cui fit imputatio, iudice, qui imputat ius. IV. Si actor ſuum perſequatur vel poenam ſibi applicandam, iudicium eſſe ciuile, ſi poenam vero publicam expoſcat, iudicium criminale conſtitui.

CXXXII.

Praecipue autem poteſtas exſequens imperantis tum ſe exſerit, quando is conatibus obſtat improborum, et delicta ſiue ipſam proxime afficiant ciuitatem, *publica*, ſiue in peculiares tantummodo cadant ſocios, *priuata*, coercet, ac porro a delinquentibus poenas ex doctrina imputationis et fine ciuitatis determinandas ſumit.

CXXXIII.

Digitized by Google

CXXXIII.

Sane legis ciuilis auctoritas absque poenae comminatione nulla eſt. Licet enim apud probos, qui legislatorem ſalutis publicae ſtudioſum, legemque ſalutarem eſſe noſcunt, ea ſatis valeat, tamen ſola legis virtus intrinſeca apud prauos, quorum ſunt plurimi, eſt inefficax, quod metu dumtaxat regantur poenae externae, dum ſciunt rectorem et poſſe, et conſtanter velle mala cum peccatis ipſo effectu copulare. Grot. *II.* I. §. 14.

CXXXIV.

Gaudet igitur imperans iure poenas ob conflictum actionum cum publica vel priuata ciuitatis ſecuritate infligendi; quod ius eo quidem fine exercet, vt qui culpam contraxerunt, attentiores deinceps in muneris ſui expletione fiant, iis autem, qui dolo deliquerunt, deſit impoſterum I. voluntas, vel ſaltem II. potentia nocendi, neve III. ſucceſſus improborum plures alliciat, ſed vt reliqui ſubditi alieno periculo cautiores redditi a malo committendo abſterreantur. Phædr. *II. Fab.* 4.

CXXXV.

Quare haud aliter licita eſt poena, quam dum ſit remedium ad ſalutem publicam neceſſarium. Atque adeo ſalus ciuitatis vnicus eſt finis poenae, qui obtinetur emendatione



Digitized by Google

delinquentis, ſatisfactione laeſi, et exemplo aliis illucente, qui tres particulares poenarum fines ſemper prae oculis habendi. Vnde aliquando etiam mortuorum ſuſpenduntur cadauera, poena fugitiuis in effigie ſtatuitur, publicaque patibula habentur. Nec vero ſola moralitas actus, ſed eius relatio ad finem ciuitatis, poenarum ciuilium menſura eſt. GROT. *II.* XX. §. 34. 36.

CXXXVI.

Et quoniam iura Maieſtatica ex iure ciuitatis colligi debent, peccata, quae fini ciuili haud aduerſantur, huc non pertinent, ſed in foro ciuili et externo ſunt indifferentia. Hinc non punitur ſimplex ambitio, auaritia, hypocriſis, ingratusue animus, quod haec animi uitia externis coactionibus emendare non liceat. Nec poenae omnes promiſcue dictari debent, ſed illae tantum, quae cum fine ciuitatis conſpirant.

CXXXVII.

Ita poenae infamiae, vel mutilationis non emendant delinquentem, immo eundem ad peccandum inuitant, quia odio publico expoſitus honeſtam ſuſtentationem quaerere non poteſt; ipſique aliquando ciuitati nocent, quippe quae otioſis hominibus alendis oneratur. *Talio* vindicta par eſt, vt quod quis fecit, idem rurſus ferat, veluti vt oculis

lis priuetur, qui alteri oculos effoderit; rariſſime igitur toleranda eſt.

CXXXVIII.

Exilium an dictandum ſit, quaeritur. Verum quum ciuium imminuat copiam, hominesque peſſimos in vicina mittat territoria, ſaepe etiam linguae ignaros, vt, quia ſibi alimenta promereri nequeunt, furto et rapina viuere teneantur, repugnat fere ſemper bono ciuitatis, emendationi laedentis ac iuſtitiae erga alios obſeruandae.

CXXXIX.

Poenas executioni mandare ſoli maieſtati reſeruatur, cui dumtaxat ius determinandi modum, quo bella gerantur, reique publicae ſeruetur tranquillitas competere diximus; non ergo a quopiam in ciuitate niſi illius conſenſu exerceri poteſt. Itaque non eſt permittendum, vt a ſodalibus vel parentibus poenae in ſuos grauiores decernantur. Et dum Galli, Germani, Romani ius puniendi vxores maritis conceſſerunt, id nonniſi nomine ciuitatis feciſſe videntur.

CXL.

Qui alterius perfectionem et ſecuritatem promouet, beneficus eſt; quin itaque imperans delinquentibus poenas infligens eundem titulum mereatur, haud eſt dubium. Contra patet: eum maleficum eſſe, ſi flagitioſis parcendo bonos ciues in pericula nouarum



Digitized by Google

laeſionum coniiciat; ex quo veram imperantis benefici ideam a praeconceptis opinionibus purgare licebit. *Si enim in delinquentes remiſſiores fuerimus, ſummae nobis crudelitatis in patriae ciuiumqve perniciem fama ſubeunda eſt.* CICER. IV. *in Catil.* 11. 12.

CXLI.

Poenae ciuiles ex fine ciuitatis menſuram capiunt. Vnde conſequitur iuris eſſe maieſtatici ad hunc finem poenas nunc maiores nunc minores imponere, eas exaſperare, aut pro re nata mitigare, quin ſi bonum publicum remiſſione poenae magis promoueatur, prorſus remittere, quod vltimum *ius adgratiandi* vocant. GROT. *II. XX. §.* 22.

CXLII.

Inde regulae in iudicio de poenis formando notandae promanant: I. Poenae ſunt mala vel corporis, vel fortunae, adeoque in priuatione eius, quod noſtrum eſt, aut in dolore infligendo conſiſtunt. II. Quod vni malum maius eſt, alteri vel minus eſt, vel prorſus nullum, ex quo proportio in ſumendis poenis haurienda erit. Non enim ruſticus aula ſibi interdici graue putabit, nec diues aliquot perdere aureos.

CXLIII.

III. Æſtimatio ergo poenae pro ſtatu perſonae, ſexu, patrimonio, loco, tempore, et modo varianda eſt. IV. In multitudine

Digitized by Google

ne peccantium, quod poena ab omnibus ſumenda reipublicae potius noceret, iis danda erit venia, qui minus rei ſunt. Grot. *II.* 20. §. 31. Montesq. *l'Eſprit de loix VI.* 16.

CXLIV.

V. Qui non peccauit, non poteſt puniri, ac ideo conſanguinei vel liberi delinquentis a poena immunes erunt; quod vero hi interdum bonis aut priuilegiis mulctentur, id poena proprie non eſt. Profuerunt olim maiorum merita, nunc demerita noceant.

CXLV.

VI. Leges veteris teſtamenti non ſunt poſitivae vniuerſales, quod alibi euictum dedimus; illis igitur in delictis, quibus leges Ebraeis ſub Theocratia datae certas definiuere poenas, quin imperans ciuilis Chriſtianus gratiam faciendi libertate polleat, dubitationi haud eſt obnoxium.

CXLVI.

Quando delictum eſt privatum, reus et ciuem laedit et legem poenalem transgreditur, quamobrem et ad ſatisfactionem priuatam, ſcilicet damni reſarcitionem, et ad publicam ſeu poenae praeſtationem tenetur. Huius ſi gratiam faciat ciuitatis Rector, non ideo et illam cenſetur remiſiſſe.

CXLVII.

Et quia iuri imperantis reſpondet ſubditorum obligatio, reus poenam perferre tene-



Digitized by Google

netur; nec eam irroganti vnquam reſiſtere poteſt. Non tamen ideo iubetur malum lege praeſcriptum vltro ſibi arceſſere, aut ſe ipſum punire, nec à fuga maiori periculo haud obnoxia abſolute abſtinere.

CXLVIII.

Dicunt neminem obligari poſſe, vt malum adpetat, ergo neminem quoque adſtringi, vt perferat poenam. Verum intelligendum id eſt cum exceptione, niſi maius malum immineat. Reus enim grauiori ſe exponeret periculo, ſi poenae reſiſteret. Deinde in conſcientia, qui peccauit, tenetur, poſtquam nocuit reipublicae, eidem prodeſſe exemplo, quod vtique bonum eſt morale.

CXLIX.

An ius morte etiam plectendi nocentes, *ius gladii*, *ius vitae et necis*, imperanti ciuili competat, fuerunt, qui in dubium reuocarent. Quam in rem his vtuntur argumentis. I. Ius illud natura ſola non tribui, quod iura omnium ſint aequalia. II. Pacto id in ſuperiorem transferri haud potuiſſe, quod nemo vnus fuerit vitae ſuae Dominus; III. nec illud ab expreſſo et vniuerſali ſummi Numinis iuſſu deriuandum eſſe, quod ſoli populo iudaico conceſſum fuerit.

CL.

Enimuero ius gladii manat ex tacita Dei voluntate, ſeu, quod idem eſt, ex lege natu-

turali hypothetica, quae dum iubet finem, remedia quoque ad eum neceſſaria impertitur. Si igitur nulla iam ſperanda ſit delinquentis emendatio, aut eo crimen progrediatur, vt vel ob atrocitatem facti vel peſſimum ob exemplum graue reipublicae impendeat periculum, quod delinquentis internecione auerti debeat, tunc imperans partem corporis morboſam totius ſeruandi cauſſa iuſte praeſcindet: in quod et ſacrae literae conſentiunt. III. Reg. *XX. v.* 42. Grot. II. *XX.* §. 10. *n.* 8.

CLI.

Nemo profecto negauerit iuris occidendi iniuſtum adgreſſorem, quod ſinguli ſibi in ſtatu naturali vindicauerant, exercitium in imperantem communem transferri potuiſſe. Sed quod porro opponunt, ſingulos hominem inermem, aut catenis vinctum adeoque nocendo iam imparem ius vita priuandi non habuiſſe, hinc nec eiusdem translationem licuiſſe, id ex totius ciuitatis conſideratione euaneſcit.

CLII.

Quid enim vetat remedia ſalutis ciuitatum multo diuerſa eſſe a remediis, quibus ſibi ſinguli conſulant? quum vtique finis hominum ſingulorum longe diuerſus a fine eorundem in ſocietate viuentium exiſtat? Quemadmodum ſonus inſtrumentorum harmo-

monicus multo, et praeſtantior et fortior ſono eſt ſingulorum.

CLIII.

Sane et legum ferendarum poteſtatem ſocietati nullus denegat, quamuis ſinguli ſibi ipſis legem dicere nequeant. Quare ſufficit iuſtum eſſe ſocietatum finem, publicam ſcilicet ſecuritatem, vt remedia cum eodem neceſſario connexa, poſito legum conflictu, pariter cohoneſtentur. Pvfend. *I. N. et G. L. VIII.* c. 3. Wolf. *ibid. T. VIII.* §. 834. *ſeqq.*

CLIV.

Nec putandum a blaſphemia et concubitu cum beſtiis valere argumentum, quod etſi per ea crimina reſpublica non laedatur, illa tamen morte etiam puniantur. Vt adeo ius necis non ex remedii neceſſitate, ſed potius a diuina reuelatione venire, aut demum imperanti prorſus abnegandum eſſe videatur.

CLV.

Falluntur enim, quotquot ita colligunt. Si quippe per ea crimina nulla inferretur laeſio ciuitati, nec licita poenae ciuilis foret exactio; laeditur his autem reſpublica multifariam, cuius vinculum cum religione tum ciuium propagatione continetur. An de cetero et quando ad mortem vsque licite extendatur poena, id ex poſitis paullo ante principiis eruendum erit. *Cf.* Devt. *XVII.* 2.

CLVI.

CLVI.

Ius defenſionis porro limites non a natura accepit, ſed indefinitum eſt, et a rebus circumſtantibus determinatur. Id tamen obſeruandum, ſaepe imperantem hoc iure abvti poſſe, ſi media adſint leniora. Nec enim continuo iuris naturalis eſt, vt qui crimen patrat, moriatur, at tunc demum, vbi alia remedia ſaluti ciuitatis haud ſatis conſulerent. Quid quod frequens vltimorum ſuppliciorum adſpectus horrorem minuit, atque fortiſſimos reipublicae eneruat elateres? Grot. *II. XX. §. 12. n. 3. et l. c. II. §. 7. n. 13.*

CLVII.

Nemo inauditus aut indefenſus condemnari poteſt. Nam quilibet naturaliter ius habet bonae exiſtimationis, ac ideo puniri non debet, niſi delicto ſufficienter probato, vt de veritate facti dubitare vltra non liceat. Quare permittendum erit, vt reus adducat quaecunque ad elidendas delicti probationes idonea eſſe legitime colligit.

CLVIII.

Tortura eſt actus, quo corpus de crimine grauiore valde ſuſpecti tormentis adficitur, vt ad confeſſionem facti adigatur. Qui torquetur, malum perfert paſſionis ob malum actionis nondum ſatis probatae, plurimi autem dolore compulſi crimina in ſe mentiti ſunt, et nonnulli extremos potius perfe-

ferunt cruciatus, quam vt ſcelera ſua confiteantur. Hinc generatim tortura remedium veri eliciendi ineptum eſt, ideoque etiam illicitum.

CLIX.

Quum tamen ſummopere aliquando reipublicae interſit crimina detegi, et in conflictu officiorum ſalus publica priuatae ſit anteferenda, ſequitur, vt ſi aliqua malitia rei aliunde manifeſta ſit, et tanta ſimul fuerit alterius ſceleri a quodam patrati probabilitas, vt quam proxime ad veritatem accedat, nec quidquam praeter ipſam inquiſiti confeſſionem ad plenam certitudinem deeſſe videatur, in rariſſima hac ſpecie ſibi locum tortura vindicare poſſit, idem obtinet ſi reus complicet nominare, vel rem, quam fatetur obeatam detegere recuſet.

CLX.

Leuandus preterea in licita hac tortura modus: nimirum torquendus ſit ſano et robuſto corpore, ac tortura in illis tantum tribunalibus inſtituatur, vbi virorum iuris prudentia probe ſubactorum copia praeſto ſit, qui ad omnia requiſita attendere et ſingula ex communi ſtatu Reipublicae ponderare norint. Tum vero etſi forte quis innocens eſſet in eo, de quo torquetur, infortunii id loco habendum foret, velut ſi quis poenam patitur, quod primum ob praegnantiſſima indicia ſuſpec-

Digitized by Google

ſpectus, dein quoque conuictus per teſtes fuerit, etſi hi abſolute poſſint falſi eſſe.

CLXI.

Tortura ſpiritualis dici ſolet iuramentum illud purgatorium, quod homini criminis ſuſpecto per iudicem defertur, vt ſuam affirmans innocentiam ſe a ſuſpicione liberet. Hoc quoque perperam adhibetur remedium, vbi poena mortis, corporis afflictiua, aut infamia dictanda venit, quum vehemens ab his poenis metus reos quoque ad peierandum facillime adigat.

CLXII.

Imperantis intereſt delicta haud manere impunita; quare habet in ea inquirendi ius, et quia poteſt adgratiare, pariter inquiſitionem eadem poteſtate abolebit; quod dum facit, poenam in delicto dubio remittit.

CLXIII.

Poteſt etiam loca, vnde rei abduci nequeant, id eſt, aſyla concedere, quae abolitionem quamdam continent temporariam, donec nimirum reatus vel innocentia accuſati adpareat. Hinc patet ius aſyli vel concedendi, vel abrogandi eſſe maieſtaticum, nec a quoquam inuita ciuitate illud vſurpari poſſe. Cod. Theod. *et* Ivstin. *De his, qui ad Eccl. confug.*



Digitized by Google

CLXIV.

Ceterum quae hoc capite de perſonis ſingularibus dicta ſunt, ea omnia ad pagos, collegia, vrbes delinquentes extendenda veniunt. Vbi nimirum ſocietates delinquunt, puniendi erunt auctores praecipui ac demum totum corpus priuilegiis exui, aut prorſus deleri poterit, ita tamen, vt non poena ipſa, ſed eius tantum incommoda in innocentes aut minus reos cadant; quae proportio in decimatione militari aliaue ſimili poena aleatoria difficulter reperitur.

# CAPVT VII.

## DE IVRE CIRCA BONA ET MVNERA CIVITATIS.

Quaecunque ſunt in dominio, nullo diſcrimine habito, *bona* dicuntur. Haec ſi ſpectantur, prout in territorio ciuitatis exiſtunt, varias ſortiuntur denominationes. Bona, quae pertinent ad vniuerſos, publica, ſin minus, priuata vocantur. Publica, quorum proprietas omnium eſt, vſus vero ſingulorum, ſunt *publica* in ſpecie, quorum autem vſus non ſingulis, ſed vniuerſis competit, ea *patrimonium* ciuitatis nuncupantur.

CLXVI.

Digitized by Google

CLXVI.

Itaque fluuii, pontes, viae, ripae ſunt bona publica in ſpecie; aedes, fundi, lacus, vulgo bona cameralia, et bona coronae, ſunt bona publica quidem, ſed in ciuitatis patrimonio. Contra bona ſingulorum immo et minorum ſocietatum atque ipſius imperantis non iure imperii obtenta bonis priuatis accenſeri debent. Omnia tamen ſunt vniuerſorum, quos quia repraeſentat imperans ciuilis, Rector ciuitatis etiam dominus territorii adpellatur.

CLXVII.

Absque ſumtibus reſpublica adminiſtrari nequit; ad ſumtus requiruntur bona, atque haec in computatione virium ciuitatis inſignem partem faciunt. Itaque in imperio ciuili etiam ius continetur per bona ciuitatis ſalutem promouendi publicam, et ſpeciatim ſumtus neceſſarios ex iisdem colligendi.

CLXVIII.

Valet ſcilicet et hoc loco illud argumentum a fine ad ius remedii cum eodem neceſſario connexi ductum. Quum itaque imperans teneatur templa aliaque exſtruere aedificia, miſeris opem ferre, publicos alere doctores, ac potiſſimum promtumtenere militem, ceteraque omnia, quorum iure eumdem inſtructum eſſe ſuperius diximus, facere, ius quoque bona ciuitatis ad eos vſus

 con-

conuertendi habere debet. *Neque* enim *quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* TAC. *Hiſt. IV. c.* 74.

CLXIX.

Quoniam bona publica ſunt in dominio populi, nemo ea poſſidere, iis vti aut frui poterit, niſi is, cui populus vel imperans, in quem iura populi translata ſunt, permiſerit; quare ius diſponendi de bonis his eſt ius maieſtaticum, rurſus ex fine ciuitatis nempe ſecuritate et inde pendente ciuium felicitate dimetiendum.

CLXX.

Populus poteſt extraneos a ſuo arcere territorio, is ergo praecipuum ius habet bona in eo contenta occupandi, vnde quae a ſingulis occupata non ſunt, *bona iacentia, adeſpota*, ad populum pertinent. Talia ſunt montes, ſyluae, metalla, venationes, loca deſerta, antra, fluuii, inſulae, fontes et viae publicae.

CLXXI.

Hinc intelligitur ad iura imperantis ius quoque venationis, piſcationis, aucupii, ius ſiluarum, vulgo foreſtale, ius ſubterraneum, ius minerale, ius in theſauros, ius curſus publicos ordinandi, ſeu *ius poſtarum* in locis viisque publicis, eſſe referenda, etſi ea iura ſaepe a ciuitate in priuatos pro parte deriua-

ri

ri ſoleant; contra in locis priuatis ea naturaliter eſſe bonorum priuatorum conſectaria, niſi et tunc in imperantem translata eſſe conſtet.

CLXXII.

Bona publica, quae conſeruandae vitae ac dignitati imperantis, praecipue in monarchia, eiusque domus ſiue aulae inſeruiunt, in ſpecie vocantur *bona fiſci*. Si vero fiſcus praedia pro ſuis reditibus habeat, dicuntur haec *domania*, reditusque eorum ſunt bona ipſius imperantis propria. Illa deinde bona publica, quae reipublicae adminiſtratio et defenſio exigit, ſunt bona *aerarii*.

CLXXIII.

Hinc triplex eſt ius, quod imperanti in bona ciuitatis competit. I. Ius dominii illimitati in proprium ſibi aſſignatum patrimonium. II. Ius vtendi et fruendi bonis fiſcalibus, in quo iure exercendo imperans commodi ſui proprii habet rationem. III. Ius aerarii adminiſtrandi, ſeu pro arbitrio ad bonum commune ciuitatis diſpenſandi, quod dum facit, iam non ſuo, ſed alieno commodo inuigilat. Eſt tamen ſaepe arduum haec bona ab inuicem ſeparare.

CLXXIV.

Si bona publica ſumtibus ciuitatis ſufficiant, nulla eſt iuſta ratio, ob quam priuati ad partem ſuorum bonorum ſuppeditandam



Digitized by Google

adſtringi poſſint. Pone autem, ea ad ſcopum ciuilem haud ſufficere, tum quisque pro modo facultatum ſuarum ad onera publica concurrere debebit, quod quidem ſinguli vniuerſis ab initio ciuitatis polliciti ſunt.

CLXXV.

Itaque perſpicitur. I. quia ius in bona priuatorum ex finis neceſſitate oritur, cauendum eſſe, vt prout finis exigit, ratio quaeſtuum et neceſſitas erogationum inter ſe congruant *; II. Si cauſſa praeſtationum, id eſt, neceſſitas deſinat, praeſtationes quoque aboleri debere; quemadmodum apud Romanos olim vnius Imperatoris praeda finem tributorum attulit **; III. Qui multa poſſident, neceſſum eſſe, vt multa conferant, ii autem quibus res anguſta eſt, pauca.

* TACIT. *An. XIII.* 50. SVETON. *Tiber. c.* 32.

** CICER. *Off. II.* 22.

CLXXVI.

IV. Rebus ad vitam neceſſariis, velut pani, carni, lignis, quam minima onera, contra iis, quae ſoli commoditati et voluptati ſeruiunt, grauiora imponi oportere. V. Nec vlla ſodalitiorum bona ab his oneribus natura ſua eſſe immunia, quod aequali ciuitatis iure fruuntur, ac iis imperans, non minus quam reliquis ciuibus, ſecuritatem impertitur.

CLXXVII.

Digitized by Google

CLXXVII.

Poteſt autem imperans duplici modo bona priuata in publicos vſus conuertere, prout vel quaedam ſolum conſectaria, vel ipſam horum ſubſtantiam adſtringit. Si ius in conſectaria exercet, neceſſe eſt, adeſſe rationem, cur hoc nec alio modo conſectaria haec definiat in vſum publicum conuertenda eſſe. Rationis huius diuerſitas varia quoque huic iuri ab imperante exercito nomina tribuit.

CLXXVIII.

Quodſi ratio in eo ſita eſt, quia vtens rebus ſuis priuatis ſimul etiam vtitur bonis publicis, ius id *vectigal* dicitur. Suntque vectigalis variae ſpecies. Aliud enim eſt pro vſu viae, pontis, fluminis, fori, et quidem vel a perſona pedite ſoluendum, quod in ſpecie *pedagium* compellatur, vel in itinere pro equis, curribus, vel pro viae, fluminis, pontisue tranſitu, quod *portorium* dici ſueuit. Aliud pro facultate in foro publico vendendi, et ſic porro.

CLXXIX.

Si ratio praeſtationis ex eo ſumitur, quod priuatus re ſua ſecure vti et frui poſſit tum, quod rerum aut praediorum immobilium poſſeſſores pro modo emolumentoque ſuo praeſtant, *tributum* et *ſteuram*, quod autem

pro rebus fungibilibus aut mobilibus ſoluitur, *acciſam* et *licent* adpellant.

CLXXX.

Male igitur HOBBESIVS.* docuit, ius vectigalium et tributorum ius eſſe dominii, nec enim ius eſt imperanti in ſubſtantiam rerum, ſed in partem dumtaxat conſectariorum competens. Nam ſi vectigal aut tributum omnem abſorberet vtilitatem, res ſuas nemo duceret per vias, fluuiosqne publicos, agricultura iaceret, periret induſtria, ipſaque ciuitas diſſolueretur.

* *De Civ. VI. 15. XIII. 11.*

CLXXXI.

Eodem modo licebit iure territorii ex parte maris vectigal petere, quia et tunc priuatus re ſua vtens, ſimul bono quodam publico vtitur; praeterquam, quod varii inſuper ſumtus ad conſtruenda nauibus tutandis loca ſeu portus, ad ignes nocturnos alendos, ad ſecuritatem nauigantibus praeſtandam ferendi ſint. Nec obiici poteſt, mare non exiſtere in bonis ciuitatis, quod quidem de toto mari, non etiam de eius parte verum eſſe, in iure gentium conſtabit.

CLXXXII.

Quando res publica in eum deuenit ſtatum, vt ſalus vniuerſorum cum ſalute ſingulorum conflictetur, imperans bonum maius

mi-

minori praeferre debebit; ipſeque ius habet conſeruationem partis negligendi, ſi conſeruatio totius vel maioris partis aliter obtineri nequeat; quod ius vocatur *eminens*, aliis *ſupereminens*, quia ſuper iura ac dominia priuatorum omnia eminet. Atque in ſpecie *dominium eminens* dicitur, quando circa res ſubditorum proprias verſatur, *eminens poteſtas* et *imperium*, quando in perſonas exercetur. Grot. *l.* 1. §. 6.

CLXXXIII.

Vi ſcilicet dominii eminentis occupatur fundus, vt in eo caſtra ponantur, aut munimenta; vaſtantur res ſubditorum, ne in hoſtium manus cadant; naues ad transportandos milites auferuntur; domus hoſti expoſitae aliaque loca tempore obſidionis occupantur; granaria priuatorum aperiuntur; ac ſi quando vis fluminis viam publicam ſuffodiat, ex vicinis haec reſtituitur fundis. Vi deinde poteſtatis eminentis obſides mittuntur; perſonae, ſpontaneis deficientibus, inuitae cogantur ad militiam; neque illis parcitur, qui alias gauderent priuilegio immunitatis; vulnerati denique et captiui in praelio deſeruntur.

CLXXXIV.

Huius vero iuris eminentis naturam ſequentia determinant principia. I. Pertinet ad caſum dumtaxat neceſſitatis et ſtatum reipublicae extraordinarium, vbi nempe iſtius

iuris exercitium vnicum eſt remedium ſeruandae reipublicae ſiue totius, ſiue maioris eius partis, aut ſi id maior quaedam reipublicae vtilitas exigit; quum ſecus non liceat imperanti priuatis ius quaeſitum auferre, nec etiam res ſubiectorum amoenitatis publicae cauſſa, propriaeue voluptatis ergo, inuadere, aut cum vnius detrimento alteri quid largiri. III. REG. 21. GROT. III. XX. §.7.

CLXXXV.

II. Quoniam onera publica ab omnibus aequaliter ferenda ſunt, imperanti incumbit, efficere, vt neceſſitate deſinente ceſſet quoque eius iuris effectus, et obligatio redeat iis reſarcitionem praeſtandi, qui praecipuo onere grauati fuerunt. * Atque ideo ius habet imperans adigendi reliquos ciues, vt in eum ſcopum coniunctis concurrant viribus. Aliud de damno ab hoſtibus illato dicendum foret; eſt enim caſus fortuitus mutua vice inter ciues tolerandus. BYNKERSH. *Quaeſt. I. P. L. II. c.* 15.

* TAC. *Ann. I.* 75. *L.* 9. *C. de oper. publ.* GROT. *II. XIV.* §. 7.

CLXXXVI.

III. In ſolo ſtatu neceſſitatis vel maioris cuiusdam vtilitatis reperitur ſufficiens ratio, ex qua ius eminens intelligi poſſit; quae ratio iuſtifica ſeu principium huius iuris, aliis etiam *ratio ſtatus* dicitur. An autem ius eminens

nens dominium ſit, an imperium, quaeſtio eſt de nomine; etſi oſtenſum ſit, quod illud ius, dum circa res verſatur, dominium, quando vero perſonas afficit, poteſtas, vel imperium, iure dici queat.

CLXXXVII.

Atque ita triplex eſſe ius in bona ciuium priuata maieſtaticum videmus. I. ſupremae inſpectionis, II. ius in partem conſectariorum, III. ius eminens in ipſam rerum ſubſtantiam, et perſonas ſubiectorum, quae cuncta ſub imperio ciuili generatim continentur.

CLXXXVIII.

Noua nobis hic ſupremae inſpectionis exempla ſuppeditant leges contra foenebre malum, in aleatores, prodigos, in eos, qui bona in certa alienant collegia, qui teſtamento nimias concedunt libertates, nimia legata aut fideicommiſſa faciunt, atque leges vſucapionibus, haereditatibus ac contractuum aequalitati inuigilantes. Intereſt enim reipublicae, ne quis re ſua male vtatur. *Cf. §. 2. I. de his, qui ſui vel. al. Iur.*

CLXXXIX.

Quamuis ius reipublicae adminiſtrandae ad eos tantum pertineat, qui imperio ciuili gaudent, fieri tamen non poteſt, vt vnus aut etiam plures, immo vel omnes collectim ſumti ſingula ciuitatis expediant negotia, ſed viris indigent prudentibus, rerum peritis et

vſu

Digitized by Google

vſu doctis, quorum conſilio et opera perpetuo vtantur.

CXC.

Quia igitur in vnione virium, quarum diſpenſatio in imperantem translata eſt, etiam actiones et operae ſingulorum ſubditorum continentur, conſequens eſt, vt imperans ius habeat actiones atque operas ſubiectorum pro exercitio adminiſtrationis publicae exigendi. LIVIVS *XLIV*. 22.

CXCI.

Status, in quo perſona certis incumbere negotiis, eaque obire perfecte obligatur, dicitur *munus*, et nunc *publicum*, nunc *priuatum* eſt. Itaque competit imperanti ius conferendi munia publica, quae etiam officiorum publicorum nomine veniunt, ſiquidem ab obligatione ad officium conſecutio patet. Eamdem ob cauſſam, qui hac ratione obligatus eſt, audit *Miniſter*, *Magiſtratus*, *Poteſtas minor*, *Conſiliarius*, *Officialis publicus*.

CXCII.

Etſi autem Imperans negotia ciuitatis expedire, atque adeo munera publica conferre omnino teneatur; ad ea tamen nemo ciuium ius perfectum habet, ſed ſolummodo aptitudinem vel ius imperfectum. Quod ſi vero ius ſpeciale ad certum quoddam munus perueniendi non nuda pollicitatione, ſed pa-

cto

Digitized by Google

cto alicui ſit collatum, dubium non eſt, quin candidatus ex huiusmodi conceſſione ius perfectum nanciſcatur. Et inde de iuris illius, quod *exſpectatiuam* vocant, latitudine ac Natura iudicandum.

CXCIII.

Eſt et imperantis ius ſubſtituendi aliumue adiungendi officialem, qui idem officium gerenti adiutorio ſit. Ceterum qui propria auctoritate munus publicum ſibi adrogare tentaret, laederet imperium ciuile, quia poteſtates hae minores ius omne a ſumma habent, neque plus tenent, quam ipſis datum ſit, adeoque a voluntate imperantis dependent.

CXCIV.

Qui etiam praeſcribere miniſtris ſuis agendi normam, inueſtigare, an ſuo quisque munere recte fungatur, probos confirmare, improbos aut deſides corrigere vel dimittere poteſt, immo inuitos cogere ad ſuſcipienda munia, petitamue dimiſſionem illis recuſare. Quare hi officiales reſpectu imperantis manent ſubiecti et perſonae priuatae. Grot. *l. IV.* §. 6. Leyser. *ad Pand. ſpec.* 570. 571.

CXCV.

Multiplex iurium maieſtaticorum eſt exercitatio, officia itaque publica in diuerſas etiam abeunt claſſes. Sunt quippe negotia externa belli, pacis, foederum, ſunt et interna



Digitized by Google

na ſcilicet eccleſiaſtica, politica, iudicialia, cauſſae fiſci et aerarii, tum commercialia, quae ciuium commercia comprehendunt.

CXCVI.

Pro externis Miniſter ſtatus et Legati in aulis peregrinis, pro internis Antiſtites religionis ad Eccleſiae naturam comparati, generalis politiae Director, ſummus iudiciorum Praeſes, primus Rationarius et fiſci procurator, ſupremus commerciorum Inſpector et primus precum Arbiter, pro vtrisque vero ſupremus rei bellicae Praefectus, ſummus rei naualis Dux, cum admiralitatis collegio haberi ſolent, quorum ſinguli rurſus diuerſas perſonas atque integra tam ſuperiora, quam inferiora collegia dirigunt.

CXCVII.

Ita et vni plura rerum gerendarum capita aliquando, vel vnum caput pluribus pro re nata committitur. Ne vero tot collegiorum operationes inter ſe confligantur, formatur ſaepe ex praeſidibus vel aliis conſiliariis, vel ex ambobus ſimul ſupremum ſtatus conſilium, quod potiſſimum in maioribus ciuitatibus, veluti centrum, vnitatem conſtituat.

CXCVIII.

Quemadmodum rerum pretium ex quantitate perfectionis deſumitur, ita et hominum valor atque exiſtimatio ex maiori vel mino-

Digitized by Google

minori perfectionum gradu pendet. Etſi enim exiſtimatio omnibus connata ſit, ac naturaliter aequalis, ea tamen ſimplex tantum eſt, atque ſola abſtinentia a malo continetur. Hic vero de aeſtimatione ciuili et hypothetica eſt ſermo, quae ex cauſſis ſuper additis variari ſolet.

CXCIX.

Is cui maior tribuitur valor, praecellit, praecellentia vnius hominis prae altero *dignitas* dicitur. Ex quo fluit, ſummam in republica dignitatem apud imperantem reſidere, quippe qui iuribus gaudet maximis, atque imperio, cui alii ſeſe ſubiicere, eiusque adeo dignitatem prae ſe cognoſcere tenentur.

CC.

Officiales publici iura exercent ciuili imperio adnexa, ac ideo in aliqua dignitate ſunt poſiti, quae eo maior eſt, quo plura vel maiora fuerunt iis munera demandata, hisque, vel animi vel corporis magis robore, perfunguntur. Quapropter ad iura maieſtatica adiungi etiam debet ius conferendi dignitates, et ſigna externa, quae illis cohaereant determinandi, veluti titulos, praecedentiam, inſignia, ſiue gentilitia, ſiue ordinis mere perſonalis.

CCI.

Proin huc ſpectat ius lites de proedria decidendi et ſuum cuique aſſignandi dignita-

tis

Digitized by Google

tis gradum, vt adeo imperans fons omnium ciuilium dignitatum veriſſime nuncupetur. Ratio vero perfacile colligitur, cur in republica ordines vel equeſtres vel togati ad aemulationem alendam inſtituantur, cur ſaepe leges famam notent, et cur iuſta ex cauſſa dignitate quis et nobilitate ſua poſſit ſpoliari.

# CAPVT VIII.

## DE IVRE IMPERANTIS CIRCA RELIGIONIS NEGOTIA.

CCII.

Eminet illud inter imperantis officia, vt in ſubiectorum animis et virtutes excitet omnigenas, et qua pote foueat, quae quoniam ſingulae nituntur pietate erga ſummum numen, hanc maxime promouendam, tum etiam illis, qui in coetu ciuili diuino incumbunt cultui, opitulandum eſſe, tam certum eſt, quam certiſſimum ab obligatione ad finem ius ad remedia non poſſe ſeparari. Nec enim qui ad numinis adorationem totius naturae voce excitabantur patrumfamilias ſinguli, poſtquam in ciuitatem coiuerunt, mi-

Digitized by Google

mus ad eum cultum obligari aut voluiſſe aut potuiſſe iudicandi ſunt. *I. ad* Tim. *II. v.* 2. Novell. *Theod. et Valent. de Iudaeis Sam. haer. et pag.*

CCIII.

Quare ciuitatis Rector inprimis, ne pietatis exercitia turbentur, neue ciues actiones ſuas externas a iure naturae detorqueant, praecauere debet. Et porro doctores aptos probosque denominare, qui ad pietatem in ſocietate colendam alliciant, atque contraria exſtirpent vitia, eorum autem dignitati et honeſtae ſuſtentationi adprime conſulere. Rom. *XIII.* 4.

CCIV.

Atque ob eamdem cauſſam templa aedificare, dies feſtos, ceremonias et congregationes piorum publicas inſtituere cordi habeat, nec vnquam patiatur, vt ciues Dei cultum proterant, aut atheismum, idololatriam ceteraque bonis etiam moribus contraria opinionum monſtra diſſeminent, ac ita fortiſſimum obedientiae ciuilis vinculum conuellant. D. Avgvstin. *contra Creſcon. L. III. c.* 51.

CCV.

Non dicas ſubditos ad nullas actiones cogi poſſe ab Imperante, quas illi de idaeis de religione ſemel conceptis aduerſarii arbitrantur, quod a nemine id, quod ipſe malum eſſe putat, liceat ex-



Digitized by Google

torquere. Nam etſi ſtulta ac erronea alterius opinio legibus flecti nequeat, tamen boni publici cauſſa ciuis, ſpectata ſola Religione naturali, iure ad actionem cogitur externam, quam ipſe falſo ſibi velut malam repraeſentat. Secus neque ad patriae defenſionem ſuſcipiendam compelli poſſet, qui eam rationi contrariam fore perperam iudicaret.

CCVI.

Quum ſocietas ad Deum eodem modo colendum inita ſit Eccleſia, et quidem *vniuerſalis*, quae per terrarum loca quaecunque diſperſa eſt, vel *particularis*, quae in certis quibusdam locis, prouincia, pago vel vico exiſtit, determinatus autem Deum colendi modus religio vocetur, non obſcurum eſt, eſſe aliquos actus pietatis, qui ita pendeant ab imperio ciuili, vt quamuis religio proprius ciuitatis finis haud ſit, tamen imperans ius quoddam circa Eccleſiae ſuae particularis et religionis negotia diſponendi ſibi aſſerere valeat, quod vulgo *ius circa ſacra* nuncupatur. Grot. *II. XX.* §. 46. *n.* 4.

CCVII.

Hic cultus vel internus eſt vel externus; itaque actus etiam religionis in interiores et exteriores abeunt, ambo vero aut *eſſentiales* ſunt, ſi ſalua religione abeſſe nequeant, aut *accidentales*, adiaphori et arbitrarii, quando

ii

ii non debent eodem modo fieri, adeoque eorum mutatio diuinae non diſconuenit voluntati. Ita agnoſcere Dei exiſtentiam, prouidentiam, ad cultum eſſentialem religionis naturalis ſpectat; at loca et tempora, externaeque determinationes, ſub quibus preces fieri ſoleant, cultum arbitrarium efficiunt.

CCVIII.

Ius ergo hoc circa religionis negotia quatenus extendatur, probe aduertendum eſt: quum enim homines corda ſcrutari nequeant, ſub hoc iure ea ſane non comprehenduntur, quae Dei cultum reſpiciunt mere internum. Sed nec ea, quae a Deo ſeu rationis ope, ſeu per reuelationem nobis diſerte manifeſtata ſunt, quaeque vocamus *dogmata*, quia nimirum ſalua Dei voluntate aliter eſſe non poſſunt, immutare a ciuili arbitrio pendet.

CCIX.

Et profecto qui ciuitatem conſtituunt, ius non habent paciſcendi, quod tanquam veram religionem, illam, quae maiori placebit parti, velint agnoſcere, quod ea tum naturali demonſtrationi euerti neſciae, cum traditioni diuinae innitatur. Neque rector ciuitatis vi quadam iubere poteſt, vt quis id pro vero agnoſcat, de quo per argumenta perſuaſus, aut conuictus nondum fuerit. Nec demum interna, id eſt, ſpiritualis hu-

mana poteſtas naturaliter vlla exiſtit. LACTANT. *Diu. Inſt. V.* 14. CASSIOD. *Var. II.* 27.

CCX.

Vrgebit fortaſſe quiſpiam, incumbere vtique imperanti, vt inſtruantur ciues, atque hoc modo etiam internum cultum ad eiusdem poteſtatem videri eſſe reuocandum. Longe alia autem quaeſtio eſt, quibus rebus conueniat ciues imbuere, alia, ad quas iidem vi externa compelli queant. GROT. *II. XX.* §. 44.

CCXI.

Exiſtunt itaque actus religioſi coactionis expertes, ſiue quod animo et cogitatione continentur, ſiue quod contrarium rectae rationi et verbo Dei ſpeciali repugnat. Libertas a tali coactione dicitur *Libertas conſcientiae*: quae igitur cuilibet per imperium ciuile ſalua eſſe debet, quod nemo humanam cogitationis poenam patiatur, nec a quoquam obſtringi poſſit, vt agat id, quod a diuina voluntate alienum eſt, vtque in officiorum conflictatione, hominibus potius quam Deo obſequatur. DAN. *IV.* 7. ROM. *VIII.* 15. HEBR. *XI.* 15. DIST. *XLV.* c. 5. GROT. *II. XX.* §. 48.

CCXII.

Quemadmodum vero idem naturae auctor et ciuitates, et religionem veram exſiſtere voluit, ita religio omnis, quae ciuitatis

tis finem euertit, aut remediis ad eum obtinendum neceſſariis impedimenta ponit, religio vera cenſeri nequit, vt adeo character huius veritatis etiam ſit, ſi Religio ſimul ad ſalutem ciuitatis conſpiret. Quare etſi ſocii ciuitatis ſimul cuiuscunque demum Eccleſiae fuerint ſocii, tamen imperium ciuile iuribus in illos integris vtitur, neque Eccleſia qua talis iisdem derogare valet. *Cf.* Dist. *XCVI.* *c.* 6. Grot. *l. II.* §. 7. *n.* 3.

CCXIII.

Quapropter imperans gaudet ius actiones Eccleſiae eſſentiales vi ſupremae inſpectionis examinandi, non quidem, vt de iis aliquid decidat, ſed ne dogmatum obtentu doctrinae aliae bono ciuili aduerſantes propalentur; immo et Eccleſiaſticam ſocietatem ciuili ſaluti contrariam, vtpote erroneam, *excludendi*, ne communi deinceps bono impedimenta ponat; atque *prouidendi*, vt Eccleſiae verae negotia cum ſalute ciuitatis conſentiant.

CCXIV.

Id quoque ſuo ſibi iure adſumit imperans, vt inuigilet, ne quis piis exercitationibus abutatur, eas pecunia proſtituat, vel petentibus Eccleſiae officia ſine cauſſa, et cum publicae tranquillitatis diſcrimine, denegare attentet, deinde, vt diſſidentes in Eccleſia, quatenus turbas fouent, nec aliter



Digitized by Google

eorum ſperatur emendatio, etiam territorio excludat. NOVELL. IVSTINIANI *LXI. princ.*

CCXV.

Et quia iura maieſtatica ex ciuitatis fine menſuram capiunt, ea religionis negotia perpetuo ex imperio ciuili pendebunt, quae ad ſocietatem ciuilem reſpiciunt, aut quorum executio ſine poteſtatis ciuilis adiumento nequit obtineri. Non enim ex ſola eccleſiae notione poteſtas aliquem viribus phyſicis cogendi, ſeu ius violentiae colligitur. CAN. 20. *C. XXIII. q.* 5.

CCXVI.

Pertinet porro cura imperantis ad res ſacras, quae velut templa et imagines cultui diuino dicatae ſunt, deinde ad bona Eccleſiaſtica, ſeu res Eccleſiae, quae ad vſum quemdam ſocietatis Eccleſiaſticae ſpectant, non tamen directe et ſimpliciter ad cultum diuinum deſtinantur. *L.* 14. *et* 13. *C.* IVST. *de SS. Eccl.* NOV. *VII. et CXX.*

CCXVII.

Dein ſi orta Eccleſiae controuerſia tumultus in republica enaſcerentur, erit ius imperanti eam prouiſionis more ſopiendi, vt conſtet, quid docere aut externe agere interea conueniat, vel efficiendi, vt liberum ſit vtrique parti mentem declarare ſuam, et citra contumeliam tueri, vel vt de eo, quod in diſputationem deducitur, pars vtraque ſilen-

Digitized by Google

ſilentium ſeruet. *v.* Caroli *M. Capitular l.* 122.

CCXVIII.

Actiones, quae quoad ciuitatem indifferentes ſunt, ab imperio ciuili eximuntur, quare in iis ciues libertate fruuntur ciuili, vt propterea territorio nequeant excludi. Quoniam vero non ſemper ciuitatis intuitu indifferentia ſunt, quae ita dicuntur, etiam in his ius ſupremae inſpectionis locum ſortitur. Atque ſi lis inter imperium ac Eccleſiae ſocios vertatur, an tales actus ad religionis eſſentiam non pertinentes ciuitati indifferentes videantur, an potius eidem noceant, tum in dubio praeſumtio pugnat pro deciſione imperantis ciuilis, cui vtpote ſoli res omnes ciuitatis circumſtantes patere debent, donec nempe contrarium luculenter doceatur.

CCXIX.

Diſputari, exempli cauſſa, poſſet, vtrum ciuitatis reſpectu indifferens ſit, Eccleſiae ſocios in aliam concedere ciuitatem, negotiorum Eccleſiae inibi tractandorum ergo; coetus in regione Imperantis maiores habere; certam perſonam ſuae praeficere ſocietati; certum locum, modum, tempus diuini cultus ſtatui, quodam ciborum genere abſtinere. Porro an poenae ab Eccleſia ſancitae in peregrinationibus, abſtinentiis, aut pecu-

nia conſiſtentes, in ciuitatis detrimentum vergant; an templa ad arcendum hoſtem demoliri oporteat; an res Eccleſiae deminutionem, an augmentum admittant.

CCXX.

Qua in re firmiter tenendum eſt, quod ſi quando vni ſemel ciuitati quid in Eccleſia ſalua religione licuit, naturaliter etiam alteri eadem incolumi idem licere oporteat; ne ſecus praeter ſocietatis naturam, aequales Eccleſiae eiusdem ſocii inaequalibus iuribus cenſeantur. Vnde quam maxime hiſtoria rerum geſtarum ſimul ac experientia iis commendatur, qui intima diſciplinarum principia perſpicere nequeunt.

CCXXI.

Illud vero extra dubitationem poſitum eſt, pacta licita imperantem inter et Eccleſiae ſocios conuenta ab illo ſeruanda eſſe, veluti ſi placuiſſet, ne in territorio ciuitatis falſa toleretur religio, et ne ipſe, qui Maieſtate fulget, diuerſum Dei colendi modum amplectatur, aut in aliam tranſeat Eccleſiam; a quarum conditionum implemento, ſi modo imperium ea lege delatum, vt ſi ſecus fecerit, amittatur, retinere velit, inuitis ſe eximere ſociis haud quaquam valet.

CCXXII.

Ex his iam colligitur: Imperantis iura non modo, vt ſupra expoſuimus, generatim

ſed

Digitized by Google

ſed et ſpeciatim aeque religionis intuitu ad tria redire capita, quae ſunt, I. Ius ferendarum legum, quae Dei cultum promoueant, et impietatem euellant, II. Ius ſupremae inſpectionis, quo praecauere poteſt, ne Eccleſia noceat, vtque turbatores excludantur, III Ius exſequendi ſeu dirigendi negotia non eſſentialia ſeu arbitraria ad ſalutem ciuilem, ſiue imperans ipſe ſit Eccleſiae eidem conſociatus, ſiue alii religioni addictus. S. Avgvst. *Contr. Creſc. Gramm. L. III.* Grot. *I. II.* §. *7. n.* 2.

CCXXIII.

Vbi tamen ſi intra naturalis rationis limites permaneas, ante alia in externa Eccleſiae ordinatione conſiderandum eſt, an Eccleſia, cui imperans ciuilis adhaeret, ſocietas ſit aequalis, an inaequalis, deinde, ſi ſit inaequalis, an is ipſe imperans, an alius ſeparatim eidem praeſideat, quod quidem fieri poſſe minime dubitandum eſt. Imperium enim vel ſine vllo limite, vel certis circumſcriptum finibus concedere fas eſt, vt adeo populus ſibi etiam totum ius circa religionis negotia reſeruare, vel idem ſpeciatim alicui alii praeter imperantem ciuilem, aut huic ſoli omni potuerit conferre. *Cf.* Gen. *XIV.* 18. Paralip. *II.* 19. *v.* 11. Wolf. *I. N. T. VIII.* §. *65. et* 955.



Digitized by Google

CCXXIV.

Ac ſiquidem ſocietate aequali contineatur Eccleſia, Imperans ciuilis qua ſocius nonniſi iure ſuffragii gaudebit; ſi vero ſocietati huic tanquam inaequali praeſit imperans, negotia religionis externa eo modo, quo ciuilia, diriget. Si denique diuerſum Eccleſiae praepoſitum fuerit caput, Imperans ciuilis Eccleſiae intuitu fiet ſubditus, atque tum ne ex vtriusque poteſtatis conflictu reſpublica detrimentum capiat, tenebitur negotia ciuilia ab Eccleſiaſticis diſcernere, atque hos limites latis legibus, pactisue confirmare. Quod idem multo magis ad contentiones euitandas ei facere incumbet, ſi Eccleſiae ſocius non ſit.

CCXXV.

Ita non difficile erit, de iuribus majeſtaticis circa religionis negotia ſpecialibus diſpicere. Atque quod poteſtatem quidem legiferam attinet, inter haec iura numerari debent: I. Ius de perſonis Eccleſiaſticis, id eſt, de omnibus Eccleſiae ſociis generatim, tum ſpeciatim de iis, qui immediate ad cultum diuinum deputati ſunt, ſeu miniſtris Eccleſiae, toties diſponendi, quoties absque ea diſpoſitione reſpublica detrimentum pateretur. *L.* 3. Cod. *de Epiſ. et Cler.*

CCXXVI.

Digitized by Google

CCXXVI.

Hinc II. Ius cauendi, ne horum miniſtrorum numerus conuenientem excedat modum, ne bona eorum immobilia nimium quantum excreſcant cum aliorum damno, et ne pecuniae in profuſas ceterisque ciuibus noxias conuertantur largitiones, tum III. definiendi aetatem, qua quis huic ſtatui ſe addicere poſſit. *L.* 21. 32. 37. *C.* Th. *de Ep. et Cl. L. vlt. ib. de epiſcop. Iud. L.* 7. *C.* Ivst. *de Epiſc. aud.*

CCXXVII.

IV. Ius ritibus arbitrariis, proceſſionibus, confraternitatibus, diebus feſtis aptam tribuendi formam, vel etiam eos reſtringendi boni communis gratia. V. Ius coercendi legibus immoderatam ſiue templorum ſiue perſonarum illarum copiam, quae certis addictae ſodalitiis vitae genus profitentur a negotiis ciuilibus alienum. V. Ius abuſus iurium Eccleſiaſticorum, ſi diſſidia et turbae inde immineant, tollendi. *Cf.* Cod. Th. *Lib. XVI. Tit. IV.* Mvratori *felicit. publ. c. VI.*

CCXXVIII.

VI. Ius tolerandi Eccleſias ex religionibus a vera alienis compoſitas, cum illis pro ſalute publica paciſcendi, aut denique non tolerandi, ſi rebellionibus fomitem praebeant. Quo loco forte quidam opponent, a gentilibus igitur iure Doctores catholicos exclu-

cludi. Iure autem ii a gentilibus eiiciuntur, qui turbas fouent, a quibus religio vera abhorret; ceterum tenentur prius gentiles de doctrina cognoſcere, quam ſi probam inuenerint, non minus impium foret eamdem arcere, quam ineptum bonas artes, veluti agriculturam, matheſin, medicinam, eliminare. Grot. *II. XX.* §. 49.

CCXXIX.

VII. Ius concertationibus religionis negotia tangentibus ſilentium imponendi, ſi quae tumultibus et turbis ſocietatis ciuilis occaſionem praebeant; VIII. Ius prohibendi doctrinas quaſcunque noxias reipublicae, libroſque easdem propalantes, quorſum atheismus, epicureismus pertinent. *L.* 2. *et* 8. §. 5. *C.* Ivst. *de haeret.*

CCXXX.

Ex iure ſupremae inſpectionis totidem velut riuuli ſequentia profluunt iura: I. inſpiciendi quaſcunque Eccleſiae ordinationes et edicta, ac ſi ciuitatis intuitu ſint adiaphora, placito ſuo confirmandi, II. negotia Eccleſiae a profanis ſeparandi, III. miniſtros ſacros, qui negotia eccleſiaſtica ordinent, ac in bonum commune prouehant, conuocandi, aut eam in rem eorumdem conſilia exquirendi.

CCXXXI.

Digitized by Google

CCXXXI.

IV. Sed et heterias aliquando cohibendi, V. dogmatum obſeruationem promouendi, VI. praecauendi, ne ſchismata oriantur, VII. ſi lites circa ſacra exiſtant, colloquia et tractatus inſtituendi, VIII. inuigilandi, vt res ſacrae ſuis adhibeantur vſibus.

CCXXXII.

IX. Pacta vel promiſſiones ciuium de negotiis Eccleſiae examinandi, eaque antecedenter, ſi reipublicae noceant, irritandi, veluti ſponſalia, ac matrimonia, etſi iusiurandum acceſſerit, vel votum; vbi enim actiones ab alterius pendent poteſtate, quod noſtri iuris tum non eſt, nequaquam inuito ſuperiore polliceri licet. Nvm. XXX. *v.* 6. 9. 13.

CCXXXIII.

Ius demum exſequendi in imperante ſpecialia haec rurſus producit iura. I. Excludendi a directione Eccleſiae perſonas illas eccleſiaſticas ſuae ciuitatis, quae ſibi ſuſpectae aut ſeditioſae ſunt, easque coercendi *. II. Ius perſonis, quae ſunt in Eccleſia, recurſum tanquam ab abuſu concedendi, ſi quando Poteſtates eccleſiaſticae ſua auctoritate in ciuium damnum abutantur. *Can.* 41. Cavs. *II.* *q.* 7. *can.* 31. Cavs. *XVI.* *q.* 7. Novell. *CXXIII.* *c.* 11. Ivl. Caes. *de B. G.* *L. VI.* *c.* 13.

* *Can.* 9. et 16. Dist. LXIII.

CCXXXIV.

CCXXXIV.

III. Ius adſiſtendi Eccleſiae ſua auctoritate, quam *brachium ſeculare* vocant, ſi vel res ſacrae, vel res eccleſiaſticae, vel perſonae religionis miniſterio deſtinatae, ſumma ſemper obſeruantia colendae, violentur; IV. Poenis in Eccleſiae hoſtes animaduertendi etiam corporis afflictiuis, vel eos eiiciendi, ſi modo reipublicae pariter hoſtes fiant; V. Regulas ab Eccleſia conſtitutas robore ciuili addito cuſtodiendi. *L.* 9. *C.* Th. *de haeret.* Novell. Iustin. *CXXXVIII.*

CCXXXV.

Sed non minus intelligitur, quale ſit, quod ſupra diximus, ius imperantis eminens in miniſtros Eccleſiae, et quomodo illud ſeſe ad res eccleſiaſticas porrigat. Scilicet vim id ſuam toties oſtendit, quoties vinculi ciuilis diſſociandi periculum manifeſtum vertitur. Tunc enim imperans et perſonas ſacras ad ciuitatem etiam ſanguine ſuo tuendam iuſte adiget, et res quaſcunque in vſus neceſſarios conuertet.

CCXXXVI.

Nam qui homines ſeruat, miſericors eſt, ac Deo obſequitur, eumque interne colit, contra res ad cultum ſolummodo externum et eum quidem ſplendidiorem ſpectant, ac ideo in conflictu officiorum cultus Dei internus euerti neſcius, debet praeferri

ex-

Digitized by Google

externo, quo aliquando poſſumus carere. Caus. *XII. Q. II. c.* 70. S. Ambrosius *de Off. I.* 17. Wolf. *I. N. T. VIII. §.* 514.

CCXXXVII.

Atque haec imperantis et officia et iura eo maius robur indipiſcuntur, ſi perpendamus, religionem non eſſe modum tollendae obligationis, aut iuris amittendi, neque res Eccleſiae deſtinatas bona ciuitatis, neque perſonas religionis miniſterio addictas ciues eſſe deſinere.

CCXXXVIII.

Quae omnia de religione Chriſtiana aeque praedicari poſſe palam fit, quia Christus, qui quidem Eccleſiam ſuam vnam fundauit et vniuerſalem, ac ſacra poteſtate inſtruxit, * attamen ciuili imperio minime derogare intendit, ſed *Caeſari dari* iuſſit, *quae ſunt Caeſaris, et quae ſunt Dei, Deo.* Atque is ipſe religionis Chriſtianae auctor *regnum ſuum de hoc mundo eſſe* negauit, omnemque animam ciuili ſubeſſe poteſtati, *etiam propter conſcientiam* voluit. Marc. *XII.* 17. Luc. *XX.* 25. Ioan. *XVIII.* 36. Rom. *XIII. v.* 14. *I.* Petr. 2. *v.* 13.

* *Ad* Corint. *Cap. XII. v. 12. 13. 27. ſeqq.* Act. *XX. 28.* Matth. *XVI. 18. XVIII. 18.* Rom. *XII. v. 4.*



Digitized by Google

# CAPVT IX.

## DE OFFICIIS EORVM, QVI GVBERNANT CIUITATEM.

### CCXXXIX.

Ii, quorum ſe imperio ſubmiſerunt ſinguli patresfamilias, dum hanc ſubiectionem acceptant, iam eo ipſo tacite ſimul repromittunt curam ſalutis publicae; adeoque ad eum ciuitatis finem aſſequendum ſe obligant. Ex quo fons intelligitur, vnde profluant officia ſpecialia imperantium, additorumque iis miniſtrorum, qui in partem regiminis, ſeu exercitii imperii ciuilis vocati ſunt, quippe, quod legitimo vſu remediorum, ſeu iurium maieſtaticorum continetur. Cic. *de rep. V.* ſeu *Attic. VIII. Ep. XI.*

### CCXL.

Natura ciuitatis docet, eam, ſicut hominem quemlibet ſingularem, certis quibusdam erga ſe officiis teneri. Quare ciues ſinguli ad munera publica ſe idoneos reddere, ciuitas tota ſe in conſociatione conſeruare, quin immo ſtatum ſuum pro ratione finis perficere, pericula interitus, ac perfectionis ſuae impedimenta amoliri debet, ac ideo inprimis virtutes tam intellectus quam voluntatis exco-

colere, ne barbara, ſed docta, culta, iuſta, potens habeatur, gloriamque ſuam in dies propaget.

CCXLI.

Quae quum ciuitatis erga ſe ſint officia, adparet: moderatoribus reipublicae omnes vires eo eſſe impendendas, vt impleantur. Hinc primum eorum munus erit rempublicam, in qua verſantur, noſſe, ciuitatis finem, ſtatum, vires, ac porro iura et obligationes, quae cum imperio ciuili copulatae ſunt, intime perſpicere, voluntatem deinde conſtantem et perpetuam ea tantum faciendi habere, quae ad bonum eius regimen ſpectant. Cic. *de Rep. II. & pro Deiotar. C. IX.*

CCXLII.

Quam in rem neceſſaria eſt legum reipublicae tam vniuerſalium, quam particularium cognitio, hiſtoria aliarum rerumpublicarum, tum accurata domeſticae hiſtoriae et iurium populi notitia, vnde ea diſcantur, quae ars gubernandi latiſſime patens exigit, quum *ipſis etiam excellentibus ingeniis citius defuerit ars, qua ciuem regant, quam qua hoſtem ſuperent.* Liv. *lib. II. c. 43.* Sallust. *B. Catil. c. 2.* Cic. *de LL. III. 18.*

CCXLIII.

Omittenda vero ſunt ea ſtudia, quae a ſcopo regiminis abhorrent, circumcidenda negotia, et aliae occupationes, quae huic



Digitized by Google

ſini aduerſantur; qua ratione Rectores populorum contentos haud eſſe oportet notitiis hiſtoricis ſeu veris, ſeu fabuloſis, quod hae cognitionem ſolummodo confuſam et obſcuram pariant; cuius locum ideae clarae & diſtinctae occupare debebant ex ſolidis ſcientiarum principiis hauriendae. SOCRAT. *ap. Xenoph. Memor. IV.* SALLVST. *de rep. ord. n. 42.*

CCXLIV.

Dein ratione poteſtatis legislatoriae attendi debet, ne leges prolixae, vagae, libertatem ſine cauſſa reſtringentes, nec plures quam finis ciuitatis depoſcat, ferantur. Ergo ſingulares reipublicae indagandae ſunt circumſtantiae, pluriumque etiam ſuffragia exploranda, tum bono exemplo ciuibus ad legum cuſtodiam praeire, priuilegia autem, quae vulnera legum ſunt, non niſi rariſſime largiri oportebit. *v.* LIV. *XXVI. c. 36.*

CCXLV.

Quum leges ciuiles ex naturalibus addendo aut detrahendo efficiendae ſint, cauendum eſt, ne errores quidam communes pro iure naturae ſumantur, ad cuius normam etiam leges ciuiles antiquae emendandae ſunt, vel abrogandae. Leges vero naturales, quas ſanctius obſeruari ſpeciatim reipublicae profuerit, nouis poenis additis muniantur.

CCXLVI.

CCXLVI.

Nec ob minimam iniuriam litibus in foro indulgeatur; quare laeſiones et culpae, quas pro varia negotiorum indole praeſtari e re ciuitatis erit, determinentur. Si denique leges peregrinas recipere placeat, ininquirendum eſt prius, an per earum praeſcripta bono ciuitatis communi conſulatur; atque ſi immutato rerum ſtatu aut agnito poſtea errore adpareat, eas non eſſe bono communi congruas, rurſus aboleantur.

CCXLVII.

Quod autem poteſtatem concernit inſpectoriam, ſocietates minores, et collegia ſaluti publicae ſubordinari, quae deficiunt, erigi, inutilia corpora dimitti debent. Porro ſanam inſtitui politiam, factiones et ſectas praecaueri, foueri artes lucratiuas, ſellullarias et opificia, commercia propagari, viam facilem ad quaerendas opes parari, hinc procul amoueri ea omnia, quae bona reipublicae peſſumdant, luxum denique arcere conueniet. Sallvst. *de Rep. ordin. n.* 52. 53.

CCXLVIII.

Inde quoque prouidendum, ne rerum pretia ab iis ſolis ſtatuantur, quorum intereſt proprios maiori caritate fructus venumdare, ne ſtudia bonarum artium iis committantur, qui ex plebis ignorantia lucrum

captant, aut noxias reipublicae doctrinas inculcant, quiue ipſi doctrina carent, vel diligentia, aut ob ingenii imbecillitatem lites ex litibus ſerunt: ne denique religio vel auaritiae, vel praepotentiae ſeruire cogatur.

CCXLIX.

Religio non armis propaganda eſt, ſed aduerſus hoſtiles impetus defendenda; nihil quoad religionis dogmata, aut ea, quae in externo cultu cum his eſſentialiter cohaerent, tangatur, ſed illa ſancte ſeruentur. Etſi enim ſalus aeterna non ſit finis ſocietatis ciuilis proprius, tamen qui in hanc conuenerunt, officiis erga Deum renunciare minime valebant; ita ciues et doctiores reddentur et meliores. *cf.* Hobbes *XIII.* 5.

CCL.

Poteſtatis demum exſequentis rectus fiet vſus, ſi promtae ſemper ad protegendam ciuitatem habeantur vires, neque commeatus, periti duces, miles exercitatus, exploratores ceteraue deſint, quae artis militaris regulae poſtulant. Bella tamen ob cauſſas friuolas haud inchoanda, et laeſiones diſſimulare minores potius conueniet, quam ciuitatem periculis exponere. Mature etiam haec, ſi neceſſitas ferat, agenda; nam miſerum eſt opus, tunc demum fodere puteum, vbi ſitis fauces tenet. Plavt. *Moſtell. act. II. Sc. 1. v. 32.*

CCLI.

CCLI.

Verum & huc ſpectat obligatio leges exſequendi, auxilium laeſis non denegandi, ſubditos grauamina exponentes, aut protectionem implorantes aditu non prohibendi, ius cuique ſuum promte reddendi, ne ſecus litis expenſae ipſam excedant ſortem, poenas pro re nata temperandi, reſtringendi aſyla, illudque cauendi, ne det veniam coruis, vexet cenſura columbas. Ivven. *Sat. II. v. 63.*

CCLII.

Bona ciuitatis ad huius finem dumtaxat conſequendum erogari debent; ne igitur maiora, quam hic finis poſtulat, exigantur onera, ne opes ſubditorum exhauriantur, quorum vtilitas ab vtilitate imperantium ſeiungi numquam poteſt. Idem enim foret ac corpus truncare membris, vt omnia capiti adcreſcant. Quare et iure eminenti imperans non abutetur, aut dominia et iura priuatorum cum iuribus ſuis confundet. Devt *XVII. v. 19.* Senec. *I. Clem. 19.*

CCLIII.

Hinc vectigalia et tributa, habita proportione ad quantitatem et qualitatem bonorum, tum modum percipiendi faciliorem, imponantur. Nam ſaepe non tam onera ipſa, quam praeſtationum inaequalitatem et acerbum exigendi modum grauiter ferre ſo-



Digitized by Google

lent ciues; *tantum nimirum ex malis publicis ſentimus, quantum ad priuatas res pertinet, nec in iis quidquam acrius, quam pecuniae damnum ſtimulat.* Liv. *XXX. c. 44.* Cicer. *Rep. IV.* Hobbes. *XIII. 10.*

CCLIV.

Quum imperans inſtructus eſſe debeat ſcientia eorum, quae ad bonum requiruntur regimen, ad hoc autem omnia negotia publica, atque ea inprimis, quae conſilium in arena deſiderant, ſaepe oporteat ipſi intime perſpecta eſſe; id tamen aut vnius aut etiam plurium numero imperantium vires excedat, neceſſum eſt, relatione ac conſilio virorum prudentum vti, quorum diuerſi diuerſis ſtudiis excellant.

CCLV.

Dicuntur hi *conſiliarii*, quorum ex notione continuo diſpaleſcit, eos ſapientes eſſe, virtuti deditos, prudentes, iurium maieſtaticorum peritos, exemplo eſſe aliis, rerum humanarum ſcientia pollere debere; cordatos praeterea, non vero adulatores, aut nugivendulos, qui fumos & inania captent. Exod. *XVIII. 2.* Sallvst. *de Rep. ord. 55. 56.* Cicer. *de LL. III. 14.*

CCLVI.

Nam ſaepe in cauſſis dubiis, et quando res aliqua variis modis ac conditionibus perfici poteſt, rationes in vtramque partem allatae maturius a pluribus trutinari poſſunt;

vt

vt quod vtile eſt, decernatur. Neque etiam, quamuis Principes multa polleant ſcientia, his carere poterunt. Nec enim ad bonum regimen theoria officiorum ſufficit, ſed opus eſt notitia rerum ſingularium, earumque diuerſiſſimarum, cui veritates generales adplicari debent. Quare illi etiam optime gubernare cenſentur, qui hac imperii ciuilis parte, in conferendis muneribus publicis poſita, ſapienter funguntur. Martial. *VIII. Ep.* 15.

CCLVII.

Quae res, quo eſt difficilior, eo maiores in bonorum miniſtrorum electione cautelae ſunt adhibendae, quae ad ſequentes fere regulas reducuntur. I. Miniſtri non naſcuntur, ſed fiunt, igitur ſolus natalium ſplendor vel patrimonii magnitudo in conſiderationem hoc loco non veniunt, ſed omnibus via facienda, quicunque virtute et habilitate reipublicae adminiſtrandae praeſtant. *Patere honoris ſcirent vt cuncti viam. Nec generi tribui, ſed virtuti gloriam.* Phaedr. *L. II. Epil.*

CCLVIII.

II. Vt ſubditi hanc aptitudinem ſibi comparare queant, oportet non modo academias et lycea inſtituere, ſed indolem cuiusque et ingenium in ipſis rebus gerendis diu experiri; nec enim ex academiis reduces mox impendi poſſunt, vt de vita et bonis ſubditorum iudicent inexpertes iuuenes.



Digitized by Google

CCLIX.

Itaque agricolas imitari conuenit, qui malas euellunt herbas, contra implantant ramuſculos, eosque excolunt, donec in arbores excreſcant frugiferas, vt in ſeneſcentium locum ſubſtitui poſſint. Atque ſi apti deficiunt viri, non ea iuuentutis culpa eſt, ſed virorum principum, qui remedia iuuentuti informandae non adhibuerunt, ſiquidem egregios inuitant praemia mores. CLAVDIAN. *II. in conſ. ſtil. v. 124.*

CCLX.

Animaduertendum autem eſt, ne munera perſonis apta fiant, ſed vt idoneae perſonae ad ea magis accomodentur. Sane vel quotidiana docet experientia, multiplicia eſſe ingenia hominum; *eſſe viros natos militiae factis magnos ad verborum linguaeque certamina rudes, ea ingenia conſularia eſſe, callidos ſolertesque iuris atque eloquentiae conſultos, vrbi ac foro praeſides habendos, praetoreſque ad reddenda iura creandos eſſe.* LIV. *X. c. 22.*

CCLXI.

III. Aptos vero educare officiales parum prodeſt, ſi minus tamen idonei impendantur; quare non poteſt imperans ſalua conſcientia digniores minus dignis poſtponere. Commendationes ſolae, partium ſtudia, cognationum fauor, vulgo nepotiſmus, hac in re exulent. Quot non idonei commen-

mendantur, atque tales videntur, quos experientia inidoneos monſtrauit? Externa forma nihil ſibi adroget, nam frons, oculi, vultus ſaepe mentiuntur.

CCLXII.

IV. Si honores et dignitates indignis conferantur, innumeris turbis adminiſtratio reipublicae confunditur; torpeſcunt boni, deferuet aemulatio, negligunt et reliqui munus ſuum; plusque nocet officium vni contuliſſe parum digno, quam ſi centum alii merita praemia conſequantur. Peſſima ſane illa eſt reipublicae conditio, *vbi inter bonos et malos diſcrimen nullum, omnia virtutis praemia ambitio poſſidet.* Sallvst. B. *Catil. c.* 56.

CCLXIII.

V. Imperans Miniſtros ac Conſiliarios obſeruet, vt intelligat, an omnes rationem habeant ſui muneris, et an non iuribus maieſtaticis abutantur. Eorum dirigat conſilia, ita enim facilius diſcernet, num ipſi forte non fallant, fallanturue. Quare etiam neceſſe eſt, cuiuslibet inueſtigare inclinationes atque affectus; ac propterea philoſophiam moralem excolere, quae regulas artis coniectandi hominum mores ſuppeditat. Quod ipſum ceteris minoribus poteſtatibus faciendum incumbit, quae ſaepe ab aliis inferioribus deceptae, decipiunt imperantem.



Digitized by Google

tem. Vopisc. *in Aurelian. c.* 43. Wolf. *l. c.* T. *VIII.* §. *1040.*

CCLXIV.

VI. Fruſtra etiam foret viros impendiſſe digniores, niſi eorum dictis atque conſiliis paterent aures, aut vero ſi rebus ad viuendum neceſſariis carerent. Tunc enim ad negligendam vel plane venumdandam adminiſtrationem aditus ianuaque eſſet patefacta.

CCLXV.

VII. Boni aliquando mores induunt malos, quare ſaepius eorum adminiſtrationem examinare, ac ſi fraudis conſcii ſint, debita eos poena coercere oportet. * Nulli tamen, qui ſalubre dedit conſilium, fortuitus aduerſus euentus iure poteſt imputari. Ceteta diſciplinae politicae docebunt.

* *L.* 4. C. Theod. *de accuſat.*

# CAPVT X.

## DE OFFICIIS SVBDITORVM CIVITATIS.

CCLXVI.

Iuri adminiſtrandi rempublicam, ne careat effectu, reſpondet obligatio ſubditorum

ad

ad ea praeſtanda, quae a Rectore ciuitatis imperantur. Illorum itaque erit voluntates ſubiicere, et vires in omnibus negotiis ciuilibus; hinc ea, quae praecipiuntur facere, quae vetantur omittere, atque hancce obſequendi promtitudinem etiam externis ſignis, data occaſione, conteſtari. Liv. *XXVI. c. 36.*

CCLXVII.

Eſt vero haec obediendi obligatio ex perfectarum genere; naſcitur enim ex pacto ſubiectionis ciuilis, quam ſi quis denegare auderet, is ius laederet translatum in vniuerſos, atque adeo iuſtam ipſis tribueret bellandi cauſſam. Et quoniam lex naturae, eiusque auctor Devs praecepit ciuitates, per ſe liquet, ciues non modo in foro externo, ſed et in foro interno, ſeu conſcientiae, ad parendum obſtringi. Rom. *XIV*, 5. Petri *I. Ep. II. v. 13. 19.*

CCLXVIII.

Fruſtra vero nonnulli ad leges confugiunt, quas vocant *mere poenales*, quasque omni obligatione interna deſtitutas arbitrantur. Si enim legislator legis edictum, minus quam eius ſanctionem pro fine habet, tunc ex poena percipit voluptatem, et porro ſubditos odio perſequitur; quod quum legi naturali omnino repugnet, abſurdum ſane eſt, huiusmodi legum monſtra cogitare.

CCLXIX.

CCLXIX.

Etſi dein filiifamilias et ſerui ciues ſtricto ſenſu non ſint, neque in hunc numerum extranei ſeu peregrini territorium ciuitatis ſubeuntes proprie referri poſſint, attamen illi domeſtico duce imperio, quod a ciuili pendet, ad finem huius maioris ſocietatis contendere perfecte obligantur, hi autem vi iuris territorialis ea cuncta omittere debent, quae ſecuritatem turbant, et eatenus ad *ſubditos temporarios* pertinent.

CCLXX.

Rector ciuitatis itaque filiosfamilias ad militiam et munera publica adigere poteſt, non vero ad ea, quae cum ſocietate nullum plerumque nexum habent, et ideo domeſticae relinquuntur poteſtati; puta, vt certam perſonam ducant in matrimonium, vel artem determinatam addiſcant. Quae tamen ipſa ſi conflictus cum ſecuritate communi ſibi depoſceret, nemo dubitabit, imperanti etiam horum intuitu eamdem poteſtatem et vim attribuere.

CCLXXI.

Quamobrem ſocii licet remotiores ciuitatis ad actiones tam negatiuas, quam adfirmatiuas vi Imperii ſummi tenentur, ſuntque eorum officia duplicis generis, alia generalia, ſeu omnibus *communia*, quae fluunt ex notione ciuitatis atque ex illa obligatione

fun-

Digitized by Google

fundamentali, qua ciues ſinguli ſummo imperio adligantur, alia ſpecialia ac *propria*, quae ex peculiari cuiuis demandato munere oriuntur. Priora haec definiuntur propoſitione: *Viue, quantum in te eſt, conuenienter iuribus maieſtaticis.* Poſteriora hoc axioma enunciat: *Nullum ambias munus, ad quod idoneus non es, quam vero ſpartam nactus es, hanc orna.*

CCLXXII.

Si autem peregrini in ciuitatem admittantur, quod ab imperantis voluntate pendet, hi dumtaxat vi iuris territorialis obſtringuntur 1) ad actiones negatiuas, et 2) ob factum ſingulare, ſi contrahant, aut delinquant, niſi pacto vel expreſſo vel tacito aliud actum ſit; 3) Legibus adfirmatiuis illis ſubiacent, quae aliquando in ipſos peregrinos feruntur; 4) Onera praeſtare debent rebus publicis adnexa, ſi iis vtantur.

CCLXXIII.

Implet leges negatiuas, qui abſtinet a laeſione, et porro eaedem hiſce enunciatis continentur. I. Non ponas impedimentum imperanti, qui actiones ſubiectorum ad externam felicitatem dirigit. Contra quod peccant, qui in ius vocatum vi eximunt, doloue, aut captiuum ſubducunt, qui deſertores militiae abſcondunt, quique delectum habentibus reſiſtunt. II. Societatem non ineas ab imperante nec expreſſe nec

ta-

tacite confirmatam; eſt enim iniuſta. Vbi tamen nulla adeſt lex prohibens, ibi ſufficit tacita permiſſio.

CCLXXIV.

III. Laeſionis depulſionem aut damni reparationem ne propria vi, ſed auctoritate imperantis perſequaris; huius enim ſolius eſt determinare modum, quo bella gerantur. Quod ius ſi cuilibet concedatur, iam ſuprema laeditur Iurisdictio, omnisque deſinit ſecuritas, primus ciuitatum finis. Hinc neque debitores violentia compellere, nec manus cum ciuibus conferre, ſiue duella inire licet.

CCLXXV.

IV. Ne des mala agendi occaſionem, neque V. conciuium tuorum commoda interuertas. Quo nomine coercentur, qui aleam fouent, qui turpes conciliant amores, qui annonam flagellant, qui illicita exercent monopolia. Quare et ideo ab extraneis iure petuntur vectigalia, ne res ſuas viliori, quam incolae, vendentes pretio, hos honeſta vitae ſuſtentatione fraudent.

CCLXXVI.

Quoniam leges affirmativae ſubditos attingunt ciues, facile colligitur, quod hi teneantur non ſolum non turbare ſecuritatem, ſed ſimul eamdem promouere. Hinc abſtinere ab otio, commiſſa ſibi munera ſuſcipe-

Digitized by Google

pere, rite adminiſtrare, aliisque bona agendi opportunitatem praebere, ad ſalutem denique publicam omnibus viribus conniti, eamque poſito conflictu ante ſalutem priuatam ponere. Arrian. *Epictet. II. c. 10.* Hobbes. *XIII. 3.*

CCLXXVII.

Hinc eſt, quod iuſſu imperantis incumbat ciuibus arma capere, ciuitatem tueri, et operas praeſtare militares, neque illas fuga aut mutilatione detrectare, pupillorum *tutelam* gerere, ciuiumque minorennium *curam.* Si tamen phyſica tunc aut moralis obtingeret impotentia, cauſſam eius iuſtam allegare, ſeu ſe *excuſare* oporteret, atque imperantis erit, ob conflictum officiorum exceptionem facere.

CCLXXXIII.

Naſcitur ſcilicet obligatio ad laborandum ex nexu ciuili, ſed praeferendi ſunt labores illi, quibus ſecuritas quam maxime praeſtatur. Ideo ſenes, officiales ciuiles, feminae, ſacerdotes, debiles, ad militiam non ſunt cogendi, ſi adſint validiores. Verum et extranei neque ad tutelam, neque ad bellum aliaque munera adigi poterunt inuiti.

CCLXXIX.

Quoniam amor in voluptate ex alterius perfectione conſiſtit, ſinguli autem ciues eo

vni-

vniri debent, vt reſpublica, cuius ſunt membra, et hinc eius territorium ſeu *patria*, quoad fieri poterit, perficiatur, non obſcurum eſt, maxime amandam eſſe patriam, eique prae priuatis ſociis plurimum eſſe tribuendum. A qua tamen differt locus natiuitatis, ſiquidem quis etiam extra patriam in lucem edi poteſt. CICER. *Off. I. 17.* LIV. *XXVII. 34.*

CCLXXX.

Diſceſſus perſonae nexui ciuili adſtrictae e ciuitatis territorio ſine animo amplius redeundi factus dicitur *emigratio*. Quia emigrans ſe officiis perfectis, et affirmatiuis exſoluere tentat, id vero inuitis vniuerſis locum non habet, manifeſtum fit: nemini ius emigrandi ſine conſenſu imperantis ſaltim tacito competere; immo vbi quis emigrauerit, ius imperanti perfectum naſci, eum a vicina gente repetendi, et puniendi. OVID. *Metam. XV. v. 28.*

CCLXXXI.

Nec obloquaris cum BOEHMERO * ciuem ſe tantum ſubiecisse, vt quamdiu ſubditorum numero continetur, ſinceram obedientiam praeſtare velit. Nam promiſit vtique ſocietatem ciuilem, igitur hoc pactum ſeruare debet. Et quamuis, quod ille vrget, nullum inde fieri imperanti praeiudicium videatur, id tamen falſum eſt, ſiquidem impe-

perans iure, quod in ciuem habet, inuitus priuaretur, praeterquam quod etiam ius turbetur vniuerſorum, quo in iſtum emigrantem vtuntur.

* *I. P. U. part. III. c. 2. §. 18. not.*

CCLXXXII.

Inde ſequentes concluſiones lucem capiunt. I. Ideo vetita eſt emigratio, quia pacto ſocietatis repugnat, ea tamen licita fieri poteſt, ſi ipſa conſentiat ciuitas, ſi ſubditos alere eorumque opera vti nequeat, ſi occupatae ab hoſtibus terrae relictio pacis foedere permiſſa ſit, ſi denique diſcedentes non ſint ciues, nec ratione delicti aut contractus obligati.

CCLXXXIII.

II. Solet aliquando conſenſus dari a conditione ſuſpenſus, vt emigrans ad certum ſolummodo locum tranſire poſſit, quae itaque ſancte ſeruanda veniet. Ita poteſt quidem *commutatio domicilii*, non autem *patriae* concedi *repudiatio*. III. Qualis conditio etiam rebus addi ſolet, vt certus emigrationis cenſus praeſtetur, quod bona ibi, vnde emigratio fit, ſint adquiſita, ſi tamen et huic cenſui modus expreſſa conuentione poſitus ſit, eum transgredi haud licebit.

CCLXXXIV.

IV. Ius *albinagii* dicitur, quo hereditas vel legatum defuncti ciuis vel peregrini ex-



Digitized by Google

traneis denegatur. Quoniam ciues ſocietati ciuili ad actiones tenentur affirmatiuas, non autem peregrini, conſequens eſt, vt ius albinagii habita legitima cauſſa exerceri quidem iure poſſit in patrimonio ciuium, non autem in bonis peregrinorum, niſi de ea lege prius fuerint admoniti, aut id iure retorſionis ſtatuatur.

CCLXXXV.

V. Quod de genere traditum eſt, id aeque de ſpecie valet. Igitur officialis inuito imperante dare muneris dimiſſionem haud poterit, niſi ſit ſubiectus temporarius certis conditionibus euocatus, quae non impleantur. VI. Contra nec imperans ius habet cogendi ciues, vt emigrent, niſi ii ratione delicti, veluti ſi turbas foueant, plectendi ſint exilio.

CCLXXXVI.

Immo vero et ciuis innocens tenebitur e ciuitatis territorio diſcedere, ſi eius defenſio cum ſalute publica collidatur, quia ab initio quiſque pollicitus eſt, bonum proprium bono publico ſe poſthabiturum, vt itaque tunc ob officiorum conflictationem ciuis vi poteſtatis eminentis deſeratur, atque ad ſtatum ſuum naturalem redeat.



Digitized by Google

CCLXXXVII.

At propter eamdem cauſſam non deſertor modo, ſed et hoſti ſimpliciter extradi poterit, omni alio ſeruandae ciuitatis remedio deficiente, innoxius ciuis. Quid ni enim id liceat; quum ſaepius tot militum millia praeſenti mortis periculo committere neceſſe ſit? *cf.* Warnefr. *de Geſt. Longob. L. V. c.* 4.

CCLXXXVIII.

Quoniam vero ius vitae et necis non habet imperans ciuilis, niſi in delinquentes ob neceſſariam ciuitatis defenſionem, ciuem innocentem nec ad euitandum imminens ſocietatis excidium, multoque adeo minus ad efficiendum, vt in vera religione moriatur, vita priuare fas erit. Alia igitur eſt deditionis, alia necis ratio. Grot. *II. C. 25.* §. *3.* Cicer. *Off. I. 45.*

CCLXXXIX.

Hanc nondum infert, qui extradendo iubet ciuem ſe periculo exponere, quod facere aliunde tenetur, modo adſit ſufficiens certitudo, hoc remedio ciuitatem ab interitu liberari poſſe. Quam tamen rariſſime adeſſe lubenter fatemur. Quis enim ſcit, an ciue extradito, quem hoſtis depoſcit, ſalua ideo futura ſit multitudo? Lupi certe ab ouibus canes ſibi tradi obtentu pacis poſtularunt, reipſa vero vt oues facilius deuorarent.



Digitized by Google

rent. PHAEDR. *Fab. app. XXI.* PVFENDORF. *L. VIII. c. II. §. 5.*

CCXC.

Subditus inobediens et refractarius eſt *laeſae Maieſtatis* reus, ſi iura quaedam maieſtatica ſibi adroget. Idem eſt *rebellis*, ſi directe et animo doloſo armis, tumultu, vel conſpiratione ſecuritatem ciuitatis peſſumdare attentet. Fit *perduellis*, ſi in ipſas perſonas imperantium aliquid moliatur. Hinc *laeſae Maieſtatis*, *Rebellionis*, *Perduellionis* crimina intelliguntur, quorum quantitas ex imputationis principiis patefit.

CCXCI.

Manifeſta proin ſunt haec conſectaria: I. Rebelles bellum gerunt late ſumtum, quia tamen id inter gentes iuſtum non eſt, *ſeditio* potius adpellatur. II. Qui dolo malo imperantis mandato non parent, ſunt *contumaces*, rebelles negatiue. III. Qui aliquid agit contra honorem imperantis et famam, ipſe quoque dat anſam tumultibus; igitur omnis huius generis actio omitti debet, et hinc eius ſtatuam, imaginem, aulam, *ſaluam guardiam* oportet reuereri.

CCXCII.

IV. Cauſſae morali actio imputatur, qui igitur dolo malo per iniuſtam adminiſtrationem ciues turbis inuoluit, inter rebelles

les

Digitized by Google

les numerari meretur, ad quos et concionatores referri poſſunt, ſi contra regiminis morbos detonando foueant tumultus. Etſi enim mala ita ſe haberent, tamen aliis longe remediis forent corrigenda. V. Qui *grauamina* demiſſe exponunt, rebelles dici nequeunt, ſed potius querulantes, *minus contenti*.

CCXCIII.

VI. Deus quidem ſic laedi non poteſt, vt eius diminuantur perfectiones, qui tamen honorem ei debitum non praeſtant, qui attributa ſolius Dei propria adtrectant, ii ex analogia *laeſae diuinae maieſtatis* rei dicuntur. VII. Peregrini non proprie fiunt rebelles, ſed hoſtes, nec laeſio ſoli priuato ciui illata ad rebellionis crimen pertinet.

CCXCIV.

Quum poenae ſuos debeant tenere auctores, quando vnus ex familia perduellionis reatum incurrit, eius vxor et liberi tormentis quidem affici nequeunt; ſi tamen liberi bonis priuantur paternis, nomen mutare, dignitatem perdere, immo et aliquando ex territorio diſcedere cogantur, eſt id remedium ſecuritati obtinendae neceſſarium, et non poenis, ſed infortuniis adſcribendum. Docuit nempe experientia liberos atque agnatos delicti ab iis patrati immemores, ſuorum necem vlciſci voluiſſe.



Digitized by Google

CCXCV.

Quare indigna homine eſt Hobbesii doctrina, qui ex eo, quod in bello etiam innocentes occidantur, perduellium quoque liberos eodem iure de medio tolli poſſe argutatur, quae porro liberorum occiſio ſit defenſionis reipublicae ſpecies, ne iidem patrem vlciſcantur.

CCXCVI.

Quam parum autem haec ſe conſequantur, nemo non perſpicit. In bello enim, praeterquam quod aliud non eſſe iuris noſtri proſequendi remedium ponimus, innocentes non ex propoſito noſtro, ſed caſu quodam vitam perdere liquet. In perduelles datur quidem ius belli, latius accepti, id tamen per modum iudicii exerceri debet, in quo adpareat, quale ſit innocentem inter et noxium diſcrimen, atque ideo leniora ſemper praeferenda veniunt defenſionis remedia, quamdiu iis ſecuritas ſatis obtineri poteſt.

CCXCVII.

Si cum rebellibus imperantes pacta ineant, putant aliqui iſta non ſtringere. Verum, qui cum illis paciſcitur, imperans eo ipſo reatus gratiam cenſetur facere, atque adeo ſeruare debet, quod promiſit, quamuis etiam in captiuitate ad id fuiſſet inductus,

Digitized by Google

ctus: quum ſecus nulla foret ad vnionem cum ſeditioſis redeundi ratio. Quemadmodum autem alios ciues, ita hos in gratiam receptos vi iuris ſupereminentis in extrema neceſſitate iuribus ſuis deſtituere licebit. Grot. *III. c. XIX.* §. *7*.

CCXCVIII.

Status, in quo iudicia ceſſant, vocatur *iuſtitium*. Eſt de cetero vel *vniuerſale*, ſi ſit in tota ciuitate, vel *particulare*, ſi in aliqua ſolum ciuitatis parte ſeſe exſerat. Dein aliud eſt *neceſſarium*, ſi ob calamitates publicas inuito imperante inualeſcat, aliud *voluntarium*, ſi eius ratio in imperantis arbitrio reperiatur. Aliud *continuum*, *perpetuum*, quando nulla eſt ſpes iudicia reſtitutum iri, aliud *temporarium*, ſi nonniſi ad aliquod tempus iurisdictio ſuſpenditur. Gell. N. *A. XX. 1.* Liv. *Lib. X. c. 4. II. C. IV. 1. X. l. 4. tit. dig. de fer.*

CCXCIX.

Quum remedia duriora nunquam adhibere fas ſit, quamdiu leniora ſuperſunt, ac malum minus maiori praeferri oporteat, perſpicuae ſunt hae concluſiones: I. Vbi iuſtitium eſt neceſſarium, attamen particulare, iudicia generatim non ceſſant; niſi igitur ſummum fuerit in mora periculum, oportebit ſuperiora adire tribunalia.



Digitized by Google

CCC.

II. Aſt ſi ex mora ſummum naſcatur periculum, nec iudex ſtatim adiri queat, quaelibet erit honeſta ratio expediendae ſalutis. Ita licet propriam poſſeſſionem vi tueri, et ſe etiam cum adgreſſoris nece defendere, ſicque pariter in inſula deſerta, vel oceano ius ſuum propria auctoritate perſequi fas eſſet.

CCCI.

III. Si iuſtitium indicatur voluntarium et vniuerſale quidem, ſed temporarium,) finito hoc tempore copia iudicis haberi poteſt; itaque exſpectatione extrahendum eſt tempus; at ſi res moram non patitur, ad illam ſpeciem iuſtitium haud extendi ſolet. Quare tempore feriarum de vi et alimentis ius redditur.

CCCII.

IV. Si iuſtitium voluntarium fiat particulare, velut ob denegatam iuſtitiam, nec extremum ſit diſcrimen, minus erit malum iniuriam pati, quam turbas ciere; oportet itaque malum ſilentio inuoluere. Nam ſinguli ius ſuum ob communem quietem vniuerſis renunciarunt. Et quum ſine cauſſa quisque ſibi fingere poſſit ius ſibi non eſſe redditum, tumultus occaſionem quiuis ſumeret. Hinc datis ab imperante debitori

in-

Digitized by Google

induciis, *moratorium* vocant, creditor adquieſcere debet.

CCCIII.

V. Putant multi ciuem iniuſte condemnatum tacita vti poſſe compenſatione; ſed quia facile quisque ſibi de iuſtitia cauſſae ſuae blanditur, dein poteſt compenſans detegi, atque vt fur puniri, pernicioſa eſt haec eorum doctrina, quae bonum priuatum ordini in ciuitate ſeruando poſthabet.

CCCIV.

VI. Quod ſi iuſtitium ſit neceſſarium atque vniuerſale et perpetuum, ſublatus eſt nexus ciuitatis, oritur anarchia, et ciues ad ſtatum naturalem redeunt. VII. Reſtituta ciuitate, quae interim geſta ſunt, integra manent, niſi aperte de iniuſtitia poſſeſſionis conſtet; talia enim facta ſine ſumma perturbatione pro ſpolio non habentur, ſed externe ſaltem iuſta ſunt.

CCCV.

Progredimur ad ſpecialia ſubditorum officia, quae a munere cuiusuis pendent. Quum autem munera ſint quamplurima, quid cuilibet officiali incumbat, hoc ex cuiusuis muneris declaratione erui debet, velut quale ſit officium Belliducis, Miniſtri, Conſiliarii, Magiſtratus, quaeſtoris, iudicis, aduocati, et eius generis reliqua.



Digitized by Google

CCCVI.

Omnibus quidem communia ſunt haec praecepta. I. Nemo munus ambiat malis artibus, vt pecunia vel adulatione; II. rationem implendi, quod iam licite ſuſcepit, muneris non deſumat ex donis aut xeniolis, quae ipſi promittuntur, vel tribuuntur, ſecus in *crimen repetundarum* incurret.

CCCVII.

Sed iam propria quaedam officia ſtrictim attingemus. I. Qui rebus ad religionem pertinentibus deſtinati ſunt, vera de cultu ſummi Numinis dogmata exponant, conſpicuum ſe populo vitae exemplar praebeant, a negotiis profanis tum maxime a faſtu abhorreant et auaritia, nunquam vero aliter ſentientes gladio perſequendi intemperiis ſe agitari patiantur *L.* 2. COD. TH. *de Epiſc. aud.*

CCCVIII.

Miniſtri vel Conſiliarii, qui ab imperantibus in partem regiminis ſuſcepti ſunt, tota mente rempublicam, eius initia, progreſſus, iura et vires complectantur; non proprias, non ſuorum opes vel potentiam aut dignitatem ſpectent, ſed ſalutem publicam; ab aſſentatione pariter ac inſolentia et factionibus ſint alieni, ea, quae vſui eſſe videntur, exponant modeſte et ſine partium

um

Digitized by Google

um ſtudio, illudque curae habeant, *vt in deliberationibus adſint, vt loco dicant, vt modo.* Cicer. *III. de LL.* 18.

CCCIX.

Militare imperium ii tantummodo ſuſcipiant, qui prudentia, fortitudine, ingenii celeritate excellunt, his vero nihil erit antiquius caſtrorum diſciplina. Militem diligenter et tempeſtiue ad miniſterium bellicum, et moleſtias perferendas habilem reddant, eum periculis abſque neceſſitate non exponant, annonam, aut ſtipendia non interuertant, et probe intelligant, ducibus validiorem quam exercitu rempublicam eſſe. Florvs *III. 22.*

CCCX.

Milites ipſi Sacramenti memores ſint, hinc dicto audientes praefecto, ſuisque ſtipendiis contenti, paganos nec vexent, nec expilent, ſtrenue exercitationibus vacent, corpus laboribus indureſcant, nec vires frangant potu, aut libidinibus. Secum ipſis non dimicent, ſed cum hoſte, neque id temere, verum quum tempus neceſſitasque poſtulat, et mortem turpi fuga ducant eſſe potiorem.

CCCXI.

Qui iuris dicundi munere funguntur, de factis idonee probatis decernant, ſecun-

dum

dum leges; in adeundo ſe faciles praebeant, et patienter audiant vtramque partem. Sed nec excandeſcere aduerſus eos, quos malos putant, nec precibus calamitoſorum illacrymari, nec motum animi vultu detegere oportet. Caueant omnino ab affectibus et corruptelis, iuſtitiam inopi aeque ac potenti diligentiſſime adminiſtrent, lites vero diminuere conentur, non protelare. ECCLESIASTIC. *VII. 6. L. 19. Dig. de Off. praeſ.*

CCCXII.

Praefecti aerario exactas inprimis curent inire rationes, vt impenſas ex reditibus et futuris reipublicae neceſſitatibus dimetiri poſſint; moderatione vtantur et aequa lance, hinc leniſſimum excogitent exactionum modum, importunam acerbitatem atque incaſſum cadentes ſumtus praecaueant, ſciantque optimum vectigal eſſe tempeſtiuam parſimoniam. Denique in id inuigilent, vt pro dignitate cuique tribuatur, et ne inferiores quaeſtores pecuniam publicam in ſuos conuertant vſus, quod crimen *de reſiduis* dicitur. PUFEND. *de O. H. & C. L. II. cap. vlt. §. 6. ſeqq.*

CCCXIII.

Qui negotia ciuitatis apud exteros gerunt, iis ſumma cautio ſit atque prouiſio, vt rempublicam, in qua verſantur, noſcant adcurate, de hominum ingeniis et moribus coniectandis laborent, iisque, quantum par

eſt,

eſt, ſeſe adcommodent, inprimis commiſſa celent, a formula ſibi præſcripta non recedant, rumores quoslibet nec ſpernant, nec ſectentur, ſtudeant vero potiſſimum gloriam ſui populi virtutibus tam intellectualibus, quam moralibus tueri.

CCCXIV.

Quibus ciuium animos ſcientiis et diſciplinis informandi ſparta obtigit, indefeſſa ſe commendent diligentia, et morum honeſtate, doctrinas proponendas ſumma attentione examinent, earum fontes et cauſſas inueſtigent, ne ſecus in theſes incidant inanes aut pernicioſas, ea tradant, quae vſum praeſtant humanae vitae, omniaque ſolidis rationibus muniant; generatim veritatem quaerant, non iurgia vanamque oſtentationem. Wolf. *I. N. T. VIII. §. 435. ſeqq.*

CCCXV.

Sed tamen certi inter haec officia ſunt limites, vt nec alter officialium in alterius munia inuolare, nec, quia omnes ab imperantis arbitrio pendent, alter alteri ſuas vices committere queat, niſi id expreſſe vel tacite fuerit permiſſum. Quare nemo etiam vltra limites ſuos iudicare poterit.

CCCXVI.

Inde naſcuntur exceptiones fori incompetentis, vel ex *re*, vel *loco*, vel *perſona*; atque pariter tot hodie vſuuenientes iurisdictio-

ctionum ſpecies, forum ſcilicet *eccleſiaſticum*, *militare*, *maritimum*, *ciuile*, *criminale*, *academicum*, *mercatorium*, *ſalinarium*, *metallicum*; *cambiale*, *foreſtale*, *pupillare:* quae ipſa porro certis reguntur legibus.

CCCXVII.

An iudex ſecundum priuatam ſuam ſcientiam iudicare, vtrumue ſola probata et allegata ſequi poſſit, difficilis eſt diſputatio, quam nos breuibus axiomatibus expediemus. I. Nemo poteſt condemnari, niſi veritas criminis perſpecta ſit. Iudex igitur neque in cauſſa ciuili, neque criminali ſententiam in eum pronunciare attentet, qui reus non eſt probatus.

CCCXVIII.

II. Si iudici liceret ex priuata ſcientia eum, qui probatus eſt debitor, abſoluere in ciuili cauſſa, turbaretur iudiciorum ordo, via pateret ſordibus in ſummum felicitatis externae detrimentum. Ideo ius ſinguli ſuum vniuerſis renunciarunt, pollicerique debuerunt, ſe potius damnum pati velle, quam euertere iudiciorum fidem.

CCCXIX.

III. Sicut in illa ſpecie iudex ſecundum allegata et probata procunciare tenetur, ita in cauſſis criminalibus ſecus eſt. Etenim poteſtas reipublicae nulla, licet eminens, ad vitam vel membra innocentis auferenda pertin-

tingit, iudicis autem poteſtas ex iure reipublicae accipit menſuram. Si itaque probatus nocens ad mortem, vel mutilationem eſſet damnandus, iudex vero eum innocentem eſſe ſciret, non quidem abſoluere poterit: attamen debebit potius munus ſuum deponere, aut extrema quaeuis pati, quam ſanguine innocentis ſe polluere.

CCCXX.

Quoniam iudices ſiue ex malitia, ſiue ex ignorantia legis aut facti erroneam dictare ſententiam, ac laedere vel actorem, vel reum poſſunt, permittitur ſubditis hac ratione laeſis ſententiam a iudicibus inferioribus latam examini iudicum ſuperiorum, vel ipſius imperantis ſubſternere, id eſt, *adpellare*, quod *ius adpellandi* ſubditis ex ipſo nexu ciuili aſſeritur.

CCCXXI.

Adpellatio haud promiſcue concedenda eſt, ne eadem ſubditi ad protrahendas lites abutantur, ſed ratio *quantitatis*, de qua adpellatur, *perſonae* et *modi* eſt habenda. Immo poteſt certis collegiis priuilegium *de non adpellando* tribui, quod tamen omnem ſupplicationem *protractae* aut *denegatae iuſtitiae* non excludit.

CCCXXII.

Vbi vero lis in ſupremo iudicio iam deciſa eſt, parti victae de re, quae fuerat litigio-

Digitized by Google

gioſa, non amplius diſceptare, ſed ſolummodo contra iudicum vel fraudes et ſordes, vel craſſam ac manifeſtam ignorantiam prouocare, et accuſationem, quam vocant *ſyndicatus*, inſtituere licebit. Quod ſi in probatione deficiat, eo grauior erit huiusmodi temerarie litiganti dictanda poena, quo magis totius intereſt ciuitatis auctoritatem ſupremorum tribunalium, in quae vtique litigantes ipſi compromiſerant, ſartam tectamque conſeruari, et eſſe aliquando litium finem.

# CAPVT XI.

## DE FORMA IMPERII ET QVIDEM SIMPLICI.

### CCCXXIII.

Imperii ciuilis naturam hactenus generatim contemplati ſumus, varias nunc eiusdem ſpecies, ſeu formas examinabimus. Eſt autem forma ciuitatis determinatio ſubiecti ſeu perſonae, cui *Maieſtas ciuilis inhaereat.* Quae determinatio, quando ex vno modo intelligitur, forma *ſimplex*, *pura*, *regularis*, quando



Digitized by Google

do non niſi ex pluribus modis cognoſci poteſt, forma prodit *mixta*, *compoſita*, ſeu *irregularis*.

CCCXXIV.

Hinc vbi imperans eſt vnica perſona vel ſingularis vel moralis, ſicut in monarchia, ariſtocratia, et democratia, ibi formae ſunt ſimplices; ſi autem duo vel tria ſimul ex dictis ſubiectis imperii ciuilis plenitudine vtantur, forma dicetur *mixta*, ſeu compoſita; atque haec determinata regiminis ciuilis habendi formula et modus nomine *legis* vel *pacti fundamentalis* inſignitur.

CCCXXV.

Quoniam ſtatus democraticus, ſeu regimen populare tunc adeſt, quando ciuile imperium ad omnes ciues collectim ſumtos pertinet, facile patet: I. in democratia, licet ſinguli ciues particulam maieſtatis habere videantur, maieſtatem tamen in nullo ſingillatim reperiri, ſed ſingulos potius ſubditorum iure cenſeri. Quare criminis laeſae maieſtatis, vti et rebellionis rei poſſunt fieri.

CCCXXVI.

II. Regimen populare, in quo ſocii omnes aequali iure vtuntur ſine praerogativa, magis ad anarchiam, et ſtatum naturalem accedit; in ceteris enim formis eadem naturalis aequalitas non ita perdurat. Porro



Digitized by Google

ciues in democratia *liberos ſe republicanos* adpellant, quia communis ſemper deliberatio, commune *ſuffragium* et *concluſum* requiruntur.

CCCXXVII.

III. Populi conuentus ad negotia publica ordinanda inſtitutus *comitiorum* nomine venit. Quum itaque in ſtatu democratico ciues non ſinguli, ſed vniti imperent, horum iure quilibet gaudet, atque jura maieſtatica ope praecipue comitiorum exercentur.

CCCXXVIII.

IV. Quum in iis proponenda et tractanda ſint negotia ciuilia, ſinguli vero ad propoſitionem eorum ex metu perpetuae confuſionis admitti non poſſint; neceſſe eſt, vt locus, tempus, modus deſignetur, quo comitia fieri debeant, deinde, vt quibusdam vel in perpetuum, vel ad aliquod ſaltem tempus detur tam ius *conuocandi* populum, quam ſpectantes ad vſum iurium maieſtaticorum quaeſtiones *proponendi*. Qui autem ſine facta ſibi facultate quid cum populo ageret, eius iura violaret.

CCCXXIX.

V. Nequit populus ſemper aut omni momento conuenire, opus itaque eſt, vt certis perſonis negotia quotidiana, concluſorumque exſecutiones committantur. Quamuis vero officiales aut collegia pertractent negotia ciuilia, quia tamen maieſtatis iura ab his

his tantummodo exercentur nomine totius populi, qui acta magiſtratuum irritare hosque ipſos punire poteſt, per ſe patet: democratiam tunc nihilominus manere.

CCCXXX.

VI. Species democratiae multum variare poſſunt, pro diuerſa ſuffragia ferendi ratione, quae ſcilicet ſi pendent a numero capitum, ſeu perſonarum, *virilia*, ſi a diſtrictu territorii, *curiata*, ſi a quantitate bonorum ſeu mobilium, ſeu immobilium, *centuriata*, ſi ab aetate, *ſenora* nominantur.

CCCXXXI.

VII. Quum naturale ſit, vt maior ſuffragiorum numerus praeualeat minori, in democratia major quoque ciuium pars imperium ciuile obtinet, atque inde nata comitiorum *decreta* leges ſunt, niſi alius in iis placuerit concludendi modus, veluti ſi duobus ſuffragiorum trientibus deciſionem adligare lubeat.

CCCXXXII.

VIII. In regimine populari praecipue bonus ordo ſeruandus eſt, quod multitudo facillime perturbationem pariat. Ne igitur democratia in *ochlocratiam*, quae eſt ſtatus, vbi omnia a multitudine tumultuarie aguntur, aut in paucorum dominatum, ſeu *oligarchiam* degeneret, eius ſtatus ratio exigit ſolicitam aequalitatis cuſtodiam, fugam ambitio-

nis, amoremque patriae excellentiorem; porro ſuffragia potius centuriata vel curiata, quam virilia; et duces aut iudices minime perpetuos, ne imperium ad paucos tranſeat.

CCCXXXIII.

Si in plures transferatur imperium, naſcitur *ariſtocratia*, in qua maieſtatem minor quaedam ciuium pars tenet, *Optimatum*, *Procerum*, *Ordinum aut Primorum* nomine inſignita. Atque haec forma ſequentibus continetur regulis. I. Optimatum corpus eſt ſubiectum, in quo maieſtas reſidet, ſinguli vero optimates ſubditorum conditione cenſentur.

CCCXXXIV.

II. Quare hi nihil poſſunt ſeparatim conſtituere ſed collectim tantum, vt vna perſona moralis conſiderati, qualem in collegio et conuentu gerunt, ſeu *ſenatu ariſtocratico*. III. Obligantur perfecte Optimates, vt de loco, tempore, modo habendi ſenatum inter ſe conueniant, atque ius conuocandi, et quaeſtionem obuenientem proponendi vni cuidam largiantur.

CCCXXXV.

IV. In negotiis, quae ad totius ciuitatis ſcopum pertinent, non autem in iuribus ſingulorum procerum, qua talium, maior numerus minori praeferri debet. V. Senatus decreta ſunt leges, quibus proin conuenienter viuere ſinguli tenentur.

CCCXXXIV.

CCCXXXVI.

VI. Numerus et qualitates optimatum et quomodo hi conſtituantur, an ad tempus ſiue ad dies vitae, an ex certa familia aut ex prouinciis, an ſoli praediorum poſſeſſores legendi ſint, id in legibus fundamentalibus definiri oportet, ſecus ipſe ſenatus arbitrabitur.

CCCXXXVII.

VII. Poteſt in collegio vni aut pluribus ſalua aequalitate concedi praerogatiua; poteſt ergo etiam in ariſtocratia vnus tanquam primus inter pares conſtitui, modo caueatur, ne tunc monarchia aut oligarchia prodeat, et pauci optimates ceteros a regimine excludant.

CCCXXXVIII.

Quare VIII. et in hoc ſtatu virtus, amor patriae, et aequalitatis ciuilis enixe commendandus eſt. IX. Optimates totum populum referunt, ſenatus comitia repraeſentat. Hinc ariſtocratia et democratia quibusdam communi reipublicae nomine notantur. MONTESQUIEU *Eſprit des loix* L. II. c. 1. et 2.

CCCXXXIX.

Status ille, in quo duae ſimul perſonae ciuile gerunt imperium, *dyarchia* dicitur; cuius duae ſtatuuntur ſpecies. Vna ſcilicet, quando ambae in *ſolidum* imperant; altera

dum duae ſolum imperant coniunctim vel communicato conſilio, vel certam quisque ciuitatis partem regendo. Priorem referunt ad monarchiam, poſteriorem ad ariſtocratiam. BOEHM. *Ius pub. un. P. ſpec. L. I. c. 3.* §. *19. not. b.*

CCCXL.

Sed vna utique ac indiuiſibilis eſt in vna ciuitate maieſtas. Duobus igitur in ſolidum competere numquam poteſt, et monarchia duorum datae ſupra ſtatus monarchici definitioni repugnat. Quod ſi diuidantur regiones, iam non vna ſed duae fient ciuitates monarchicae. Hinc dicendum eſt dyarchiam, in qua mutuo duorum conſenſu res agitur publica, ad formam magis ariſtocraticam eſſe referendam.

CCCXLI.

Dicunt ariſtocratiam eſſe collegium, ad hoc autem tres ad minimum requiri perſonas; ergo dyarchiam ad illam referri non poſſe. Enimuero ariſtocratia tunc exiſtit, quando nec vnus nec maior ciuium pars imperat, quod ipſum in dyarchia accidit Atque ita poterit etiam ariſtocratia ſine numero trium perſonarum, et vulgari collegii notione concipi.

CCCXLII.

Quum ciuitas, in qua ciuile imperium vna ſingularis tenet perſona, *monarchia* ſit, ſeu

Digitized by Google

ſeu *regnum*, euidens eſt, iura omnia maieſtatica atque officia monarchae vel Regi eſſe tribuenda; quae ſupra generatim imperantibus adſeruimus. Itaque in monarchia ſimplici vnus tantum poteſt, quantum potuiſſent vniuerſi in ipſa imperii origine. Quare monarcha ſummitate, et plenitudine poteſtatis ciuilis, atque adeo imperio indiuiſo ac illimitato gaudet.

CCCXLIII.

Hinc ex regni natura ſpecialia haecce emergunt enunciata. I. Iura, quae in Rege, qua talis eſt, reperiuntur, dicta ſunt *regalia*, vnde regalia monarchae ſunt omnia iura maieſtatica. II. Regi ſubſunt omnes ac ſinguli ſubditi ciuitatis, ergo et perſonae, quae de illius ſunt familia, quatenus vt ciues conſiderari poſſunt.

CCCXLIV.

III. Actiones regiae ab actibus Regis ſecernendae ſunt, in illis enim dumtaxat Rex imperio vtitur publico, in his autem vt priuatus ſpectatur. Attamen legibus a ſe latis ipſe, quamquam ciuis ſit, non ſubeſt, ſed eatenus naturali fruitur libertate, nec alium niſi Deum legiſlatorem agnoſcit. Grot. *II. c. IV. §. 12.*

CCCXLV.

IV. Monarcha iura ſua ad felicitatem populi externam dirigere tenetur; quare is



Digitized by Google

cum *Deſpota* confundi non debet, quia hic non ſolum imperium in perſonas, ſed dominium quoque in res et operas ſubditorum habet, et deſpotiſmus ex abuſu monarchiae fere oritur. V. Sed nec rem publicam gubernat, qui eamdem alienat; itaque haec alienatio in imperantis poteſtate, per ſe non comprehenditur.

CCCXLVI.

Atque hinc ſimul vulgatae reſoluuntur quaeſtiones, an princeps bona fiſci vel aerarii alienare queat, an alienata ei reuocare fas ſit, an ſucceſſor factam a ſuo anteceſſore alienationem adprobare obligetur? Si enim alienatio medium eſt neceſſarium ad ſecuritatem publicam, tum ius alienandi principi nequit denegari.

CCCXXLVII.

Aſt ſi absque neceſſitate facta ſit alienatio, ea non valet, et ideo bona a ſucceſſore vindicari poterunt; qui tamen ſi ſimul in priuatum principis patrimonium ſuccedat, eatenus tenebitur euictionem praeſtare. GROT. *II. c. XIV.* §. *10. et 11.*

CCCXLVIII

Quum vero ſaepe oriri queat diſputatio, an haec, quam requiſiuimus, adfuerit alienandi neceſſitas, tutiſſimum erit *ordinum* vel *ſtatuum imperii*, id eſt, eorum, qui totum populum, vt ſubiectum et in claſſes diſtribu-

bu-

Digitized by Google

butum repraeſentant, conſenſum adhibere; qui etiam ſemper neceſſarius tum eſſet, quando id pactis fundamentalibus fuiſſet conuentum.

CCCXLIX.

Alia et multo grauior eſt quæſtio, an pars populi in ſumma ſaltem neceſſitate inuita alienari poſſit? Quam quidem Grotius* eo fundamento negat, quod qui in ciuitatem perpetuam coierunt, non ea voluntate ſe ſubiecerint, vt ius eſſet corpori partes et abſcindere a ſe, et alii in ditionem dare.

* *II. c. VI. §. 4. ſeqq.*

CCCL.

Contra affirmat Coccejus, * quod in corpore quoque Phyſico pars abſcindi debeat, ſi totum aliter ſeruari non valeat; quodque ab ipſo Grotio admittatur parti, ſi euidenter ſe aliter ſeruare non poſſit, aut non defendatur, ius eſſe a corpore recedere, itaque etiam corpori illi morali ius ſit concedendum alienandae partis, ſi ineluctabili neceſſitate prematur. Addit innumera exſtare exempla, in quibus alienata quadam prouincia pax redimi debuerit.

* *Ad Grot. l. c.*

CCCLI.

Nobis ea quaeſtio diſtinctione dirimenda videtur. Scilicet vniuerſi tunc partem tueri non amplius obligantur, quando defenſio

 eſt

Digitized by Google

eſt impoſſibilis. Itaque in eo rerum ſtatu partem proiiciendo non tam alienant, quam potius deſerunt, ſuoque in illam iuri renunciant. Ex quo dein tamen haud ſequitur, partem eam victori parere cogi, ſi modo ſine gravi totius ciuitatis diſcrimine, propriis viribus libertatem ſuam conſeruare valeat, cuius rei Siculi inſigne olim exemplum praeſtiterunt. *cf.* MURATORI *Annal. d' Ital. ad an 1296.*

CCCLII.

Adparet inde, quo ſenſu ipſa monarchia in *patrimonialem* ſeu alienabilem, et *vſufructuariam*, ſeu non alienabilem diſtribui poſſit. Quas denominationes quum GROTIUS * prodidiſſet, non aliud voluit, quam id, dari aliquando imperia ciuilia, quae cum facultate alienandi ſint connexa, ſi nimirum vel bello iuſto occupata ſint, vel ipſe populus hoc ius in imperantem tranſtulerit. GENES. *c. XLVIII. v. vlt.*

* *l. c. III. §. 12. et 15.*

CCCLIII.

Nemo vero obiiciat, ciues in monarchia homines eſſe liberos, et hinc alienationis incapaces; nec enim ipſae alienantur perſonae, ſed facultas eas moderandi, quare et libertatem ſuam contra victorem eos vindicare aliquando poſſe diximus. Ceterum quomodo regnum alienabile a deſpotico, ſeu *regno herili* differat, ex ſuperioribus quoque colligitur.

CCCLIV.

Digitized by Google

CCCLIV.

Monarchae iura ex titulo Regis, Imperatoris, Caeſaris dimetiri haud oportet. Sunt enim multi, qui ſine his titulis imperium ciuile tenent, ſicuti contra alii, qui regio decorantur titulo, veri monarchae nequaquam haberi poſſunt, quemadmodum duo Spartae Reges olim ab Ephoris tamen iudicabantur. * Eſt autem in imperantis arbitrio, quibus titulis vti velit, ad quos recognoſcendos an exteros quoque cogere poſſit, in iure gentium pateſiet.

* Corn. Nep. *Pauſan.* c. 3.

CCCLV.

Nec ſumma poteſtas a coronatione, ab inſignibus, praeſtatione *homagii*, qua voce externam ſubiectionis declarationem ſignificant, aut ab aliis inaugurationum ritibus pendet. Nec ea inde minuitur, ſi monarchae comitia conuocent, vt ſubditorum ſuorum conſilia intelligant, vel facilius ſua poſtulata iis declarent; aut ſi demum acta ſua, niſi a coetu quodam probentur, rata eſſe nolint, quum acta, quae tunc reſcinduntur, ipſius Regis imperio pro nullis habeantur. Grot. *I. c. III. §. 18.*

CCCLVI.

Et quia aliud eſt de re quaerere, aliud de modo eam habendi, monarcha etiam temporarius ad certos annos, vel menſes adſtrictus,

Digitized by Google

ctus, qualis *Regnum aeſymneticum* poſſidere dicitur, ſummum imperium tenet, vti ante legem Valeriam Romanus Dictator. Quod non aeque de regno precario, quod omni momento a populo reuocari poteſt, adſerueris; huiusmodi enim Rex nil aliud eſt, quam nudus mandatarius populi. GROT. *l. c. III.* §. *11.*

CCCLVII.

Rurſus alia eſt de tutore Regis inſpectio. Rex enim pupillus imperium habet, quem tutor inſtar mandatarii repraeſentat, ita vt iſte non habeat maieſtatem, ſed exercitio ſolum alieni iuris ſibi commiſſi fungatur. Quapropter finita adminiſtratione ad reddendam eorum, quae geſſit, rationem compelli ſemper poteſt. A qua ſententia licet GROTIUS * et BOEHMERUS ** diſſideant, id tamen inde venit, quod illi ius cum iuris exercitio confundant, in quod, rege impedito, ſaepe ſupremum etiam conſilium incumbit.

* *l. c. III.* §. *11.*

** *I. P. V. P. ſp. L. I. c. 4.* §. *14.*

CCCLVIII.

Si Maieſtas vt ſumma dignitas conſiderata in ciuitate vni inhaeret perſonae, *perſonalis*, vbi vero pro ipſo ciuili ſumitur imperio, *maieſtas realis* vocari ſolet. Haec vi originis eſt penes vniuerſos, qui ſi monarchiam ordinant, etiam imperium ciuile ſeu maieſta-

ieſtatem realem transferunt in monarcham, cui porro et maieſtas perſonalis ſimul obtingit. Quare Regi maieſtatem realem relicta altera illa denegare eſt abſurdum, tunc enim praeter Principis titulum ciui vni tributum, vera democratia remaneret.

CCCLIX.

Inde liquet, eos, qui maieſtatem tribuunt populo, vocis populi fallaciam committere; nunc enim accipitur pro tota familiarum multitudine, quae corpus aeternum conſtituunt; nunc pro multitudine ciuium ſubiectorum diſtincta ab imperante, et omnes perſonas ciuili poteſtati parentes complectitur, quo vltimo ſenſu populo iam nihil maieſtatis inhaeret.

CCCLX.

Itaque facile eſt, *Monarchomachorum*, qui docent, in monarchia ſummum imperium penes populum remanere, ſententiam profligare. Patet quippe ex definitione monarchae, per eum intelligi perſonam ſingularem ciuili donatam imperio, quae nullo modo ab alieno, vt illi volunt, dependeat arbitrio. Quare repugnat populo inferiorem eum facere, qui huic imperat, cunctaque populi iura ſolus complectitur.

CCCLXI.

Digitized by Google

CCCLXI.

Neque iam nouus audiendus eſt Diogenes, * qui putat, hominum multitudinem vnius ſe ſubiicientem imperio ſana mente carere, adeoque nec paciſci poſſe. Enimuero, qui in naui ſunt, prudenter vni nauarcho parent, et integer exercitus ab vno Imperatore tutiſſime ducitur; inſanus igitur is ſit, qui patribusfamilias, dum turbas praecauent, et malum minus praeferunt maiori, rationem audeat abnegare.

* I. ROUSSEAU *Contract. ſocial. Amſtelod. 1762.*

CCCLXII.

Sed et vnus vel plures homines imperio etiam herili ſeſe ſubmittere poſſunt, adeoque multo magis ciues vnius ciuile imperium eligere. Dein ſi homo ex laeſione illata poenae et ſatisfactionis praeſtandae titulo in iugum iure mittitur, cur non et populus iuſto bello in ſubiectionem veniet? Neque ratio adparet, cur in monarchia Rex populo ſubeſſe debeat, poſtquam nec optimates in ariſtocratia a reliquis ciuibus, nec in democratia a confuſa multitudine comitia dependent.

CCCLXIII.

Accedit, quod ſicut in democratia pars maior minorem excludit, in qua inſuper feminae, homines iuniores, aliique multi ad deliberationes non vocantur, ita eodem modo

do in monarchia multitudo excludatur. Denique ſi integer populus alium in ſubiectione habere populum poteſt, quin nudus ideo alterius ſubiecti populi ſit mandatarius, quonam fundamento monarchae idem ius denegabitur? Grot. *I. c. III. §. 8. ſeqq.*

CCCLXIV.

Nec obloquantur Monarchomachi, nullam exſtare monarchiam, quod conſtituens ſuperior ſit conſtituto; ex quo conſequatur populum, a quo Rex conſtituatur, eſſe ſuperiorem Rege. Eſſet enim id verum, ſi populus in ipſa hac Regis conſtitutione ſe non ſimul eidem ſubiiceret, et aequalitati naturali renunciaret; quod quum faciat non magis manebit ſuperior, quam ſeruus pactitius vel famulus mercenarius ſunt domino ſuperiores.

CCCLXV.

Vrgent imperium eſſe comparatum in populi fauorem, itaque ſemper ad populum pertinere. Id autem ſaepius exigebat ipſius populis fauor, vt ab vno regeretur, qui vel optimatum vel multitudinis impotentiam et furorem coerceret. Sane et tutor conſtituitur pupilli cauſſa, hunc tamen ideo illo ſuperiorem eſſe nemo dixerit.

CCCLXVI.

Prouocant nonnulli ad ſacras litteras, quae doceant punitum fuiſſe aliquando popu-

pu-

Digitized by Google

pulum ob peccata Regum, quos ille in officio non contineret. Aſt populo tum demum poena infligitur a ſummo numine, ſi quocunque modo ſe male factorum reddat participem. Ceterum omnia mala phyſica poenae dici haud poſſunt. II. Reg. c. XIX. v. 11.

CCCLXVII.

Volunt etiam Regem miniſtrare populo, neque hunc praeſumi tantam vni homini conceſſiſſe poteſtatem. Verum, quod Rex iura ſua adminiſtret, ideo populi miniſter non eſt; non enim alieno, ſed proprio iure ciuitatem gubernat, nec alii niſi Deo ſoli rationem actuum ſuorum reddit. Vnde etiam praeſumtio de voluntate populi corruit, ſi hic ſemel Regem proprie talem conſtituit, quum veritas vtique iam adſit.

CCCLXVIII.

Sunt autem multae cauſſae, quae populum ad eam ſubiectionem adigere poterant; quales ſunt: ſummum diſcrimen a victoris potentia, ne penitus deleatur. Stupiditas aliquarum gentium, quae ſe ipſas conſilio proprio regere haud poſſunt; vt olim Cappadoces, Myſi, Getae. Exemplum vicinorum populorum feliciter ſub Regibus degentium, qua ratione Haebraei allecti Regem poſtularunt. Metus belli ciuilis inter proceres, quapropter et AVGVSTO ſumma poteſtas delata eſt.

CCCLXIX.

CCCLXIX.

Quando Monarchomachos refellimus, non ideo a *Machiauelliſtis* minus abhorremus. Debet haec ſecta ſuum nomen Machiauello Florentino, qui in libro italico, quem *Principem* inſcripſit, id euincere conatus eſt, ſubditos a Principe laedi non poſſe, quod nullis iam gaudeant iuribus, poſtquam ea omnia in Regem ſunt translata. An ſerio id egerit, an vero principatum dumtaxat Florentinis voluerit reddere exoſum, ab eruditis diſceptatur. Hiſce tamen veſtigiis inſtitere plures et potiſſimum Thomas Hobbesius.

CCCLXX.

Verumenimuero habent ſubiecti ciues iura ſua connata, dein iura ſocialia ex pacto ſubiectionis adquiſita, quo ſinguli vniuerſis, et vniuerſi ſingulis ad mutuam felicitatem promouendam ſe obſtrinxerunt. Nec aliam imperans ex ſimplici ſubiectionis pacto adquiſiuit poteſtatem, quam illam, quae vniuerſis ad finem ciuitatis obtinendum neceſſaria erat; quare ſi ſibi maiorem adroget, laedi ab eo ſocios manifeſtum eſt.

CCCLXXI.

Etſi autem ciues aliquando ab imperante laedantur, non tamen ius ei reſiſtendi habent, ſiquidem reſiſtentia vtrique pacto vnionis et ſubiectionis repugnaret, quorum vis eſt, vt ſinguli bono priuato bonum teneantur



Digitized by Google

tur praeferre vniuerſorum, et ab omni violenta iuris ſui perſecutione contra imperantis voluntatem ſe cohibere. Alias reus quilibet ſibi perſuaderet, ſe poenae reſiſtere poſſe. *cf. I.* REG. *XXVI. 9.* GROT. *I. c. IV. §. 4. ſeqq.*

CCCLXXII.

Poterit igitur laeſus placidis quidem modis, litteris ſupplicibus, aut tandem fuga ſibi conſulere, nunquam vero priuati ſui commodi cauſſa quietem publicam mediis violentis perturbare. Accedit, quod in dubio praeſumtio pro imperante militet, qui etiamſi forte contra ius ſubiecti faciat, errore magis et ignorantia inuincibili, quam dolo feciſſe videtur, laeſionemque cauſſa cognita tollere velle.

CCCLXXIII.

Magiſtratus quod attinet, quamquam hi ſunt perſonae publicae, imperantis tamen intuitu ſubiecti manent, atque priuati. Hinc difficultates quidem iuſſa exſecutioni dandi oculis rectoris ſubiicere poſſunt, non tamen reſiſtere; quia tota, quam ipſi tenent, poteſtas a monarchae nutu dependet, qui porro reſiſtendi facultatem tribuiſſe nequaquam praeſumitur. *cf.* GROT. *I. c. IV. §. 6.*

CCCLXXIV.

Quemadmodum ciuitatis ſubiecti ſinguli, ita tota eorum multitudo monarcha eſt inferior. Obedientia enim ab omnibus debe-

be-

Digitized by Google

betur non tantum bene, ſed et male rempublicam gerenti. In translatione quippe imperii populus excipere haud potuit, ſe recte ſolum imperanti parere velle, idem enim foret, ac obligationem ad nutum obligati diſſoluendam, adeoque inanem celebrare.

CCCLXXV.

Imperantis itaque iudicio relinquitur, quid e re ſit ciuitatis, et in eo ſe populus imperium transferens adquieſcere velle declarat. Quod ſi male regimini praeeſt, fortunae id aduerſae, humanae imbecillitati, difficillimo Rectoris ciuilis muneri tribui, ac patienter ferri debet. Quid? quod plebs ſaepe mala putat, quae ſunt ſaluberrima? vt adeo infinitis turbis pateret porta, ſi quod multitudini diſplicet, praecipi iam non poſſet.

CCCLXXVI.

Sane in ſtatu naturali bona noſtra immo ipſa vita quouis momento latronum exponuntur iniuriis. Satius itaque fuerit malo ſub Rege viuere; a quo tamen ingens adhuc multitudo ſeruatur incolumis, neque incommoda imminent continua, ſed meliorum interuentu penſantur. Tacit. *Hiſt. IV. 74.*

CCCLXXVII.

In iis deinde negotiis, in quibus ciues ſe imperanti non ſubiecerunt, manet quidem libertas ciuilis, et eatenus ſtatum aequa-

 li-

litatis patresfamilias tuentur. Quoniam vero officiorum violatio, quae in regimine ciuitatis continentur, jus belli non tribuit, ita nec illa laeſio, per quam monarcha, in quaedam populi iura inuolat ab initio reſeruata, huic bellandi licentiam dat, quod pacto id vnionis ciuilis ac maiori bono repugnaret.

CCCLXXVIII.

Patientia itaque vtendum eſt non ex iure imperantis, ſed propter obligationem ſingulorum erga ſe inuicem, quatenus ſocii ſunt, pactoque vnionis colligantur. Quid porro ſi imperans negaret a ſe pacta conventa eſſe violata? quid ſi ius eminenns ex neceſſitate ortum oſtenderet? cuinam tunc iudicium eſſe relinquendum? *cſ.* BOEHM. *I. P. V. Lib. III. c. 2. §. 13.*

CCCLXXIX.

Inde autem non conſequitur, pacta cum imperante celebrata eſſe inutilia, ſi idem ad fidem ſeruandam vi adigi non poſſit. Pacta enim imperantem in conſcientia obligant; cuius ſi praeceptis non obtemperet, ſubiecti iam non gaudent cogendi iure, cui renunciarunt in ipſo ſubiectionis pacto, ſed eius rationem reddet ſummo Numini. An porro fides violata ſit, decidere nequeunt ci-

ues

Digitized by Google

ues, ſi id negauerit imperans. Psalm. *L. v. 6.* Wolf. *I. P. V. §. 1047.*

CCCLXXX.

Equidem obedientiam inferiores in eo praeſtare non poſſunt ſuperiori, quod legi naturali, aut diuinae certo aduerſatur. At nec tunc reſiſtere ipſis licet, ſed mala ideo illata amore vniuerſorum patienter tolerare, aut fuga, aliaue defenſione innocua, auertere oportet.

CCCLXXXI.

Quare qui religionis vel illatae iniuriae obtentu turbas fouent, aut arma capiunt, ſunt rebelles ac laeſae Maieſtatis rei. Hinc aliud eſt reſiſtere, aliud non obedire; qui non adſtringitur ad obedientiam, tamen ad patientiam obligatur. Ierem. *XXIX. 7.* Grot. *I. c. 4. §. 7. n. 6. 9. ſeqq.* Coccei. *ibid.* Boehmer. *L. III. c. 2. §. 6. ſeqq.*

CCCLXXXII.

Atque hoc ſenſu *ius Regis* eſſe dicitur in ſacris litteris: *Agros veſtros et vineas, et oliueta optima vobis tollere, et dare ſeruis ſuis*; non enim monarcha, qui hoc facit, in foro interno a peccato eſt immunis, ſed ius eatenus habere declaratur in foro externo, quatenus ſubditis facultas reſiſtendi denegatur. *I.* Reg. *VIII. 11. ſeqq.*



Digitized by Google

CCCLXXXIII.

Regimen imperantis, qui totius euertendae ciuitatis propoſitum manifeſtat, eſt *tyrannis*, et qui exercet reipſa tyrannidem, *tyrannus exercitio* dicitur. Vnde adparet, illum nondum eſſe tyrannum, qui vel imperio vtitur illimitato, vel priuatim ciues laedit; vel demum qui ciuitati integrae ex culpa, ignorantia, ingeniiue defectu, absque hoſtili animo infligit mala. Vti enim a ciuis vel partis minoris laeſione ad ciuitatem vniuerſam non valet argumentum, ita nefarium huiusmodi propoſitum non niſi ex defectu voluntatis intelligitur. DARIES. *I. I. V.* §. 703.

CCCLXXXIV.

Tali ciuitatis hoſti eiusque euerſori armis reſiſtere populum poſſe docent BARCLAIVS, * WOLFIVS **, ACHENWALIVS ***, aliique multi his potiſſimum argumentis; quod eo in caſu maius malum ſit pati, quam reſiſtere, quodque voluntas imperandi et perdendi ſimul conſiſtere nequeant, hinc Rex tum Regis perſonam exuat, atque imperio ciuili renunciare videatur.

* *Adverſ. Monarch. L. III. c. 8. L. VI. c. 23. 24.*
** *I. N. T. VIII. §. 1060.*
*** *I. P. V. §. 204.*

CCCLXXXV.

Enimuero quinam reapſe tyrannus exiſtat, definire eo difficilius eſt, quo minus con-

Digitized by Google

conuenit ſubiectis iudicium de imperante ferre; et quo procliuius ſolet multitudo, vel maiorem quandam negligentiam perperam pro derelictione habere, vel etiam remedia violenta, ſanandis reipublicae morbis tantum idonea, in crudelibus lanienis numerare. Quid? quod huiusmodi impio obtentu optimi etiam Reges periuerunt.

CCCLXXXVI.

Fac autem principem totius populi interitum reuera moliri, haud tamen opus fuerit, arma in ipſius perſonam mouere; ſatis enim omnium proſpicitur ſecuritati, ſi nemo eidem ſuppeditet vires, et ſinguli obedientiam in re illicita ac turpi abiiciant. Quod ſi extraneis reſiſtatur hoſtibus, nulla iam fit iniuria maieſtati.

CCCLXXXVII.

Denique monarcha, qui propriam delere cupit ciuitatem ſanae mentis non eſt; illud itaque adhuc praeſto eſt remedium lenius, vt ſecuro loco includi ac cuſtodiri poſſit, neque enim odium mereretur ſed potius commiſerationem. Ex quibus omnibus patet, ſubiectis tam ſingulis, quam vniuerſis ius armorum in perſonam Regis ſemper eſſe denegandum. *cf.* Grot. *L. I. c. IV.* §. 7. *et* 11. Boehmer. *l. c. L. III. c. IV.* §. 34.



Digitized by Google

CCCLXXXVIII.

Nec cuiquam faceſſat negotium exemplum machabaeorum, qui arma contra Antiochum legitimum Regem arripuerunt religionis cauſſa, illi enim a Deo, cuius in Reges ſummum ius eſt, mandatum ſpeciale acceperunt; ſecus a crimine rebellionis non poſſent excuſari. Etiam Iſraelitae vaſa abſtulerunt Ægyptiorum, et Samſon ſibi interitum parauit, inde vero haud conſequitur, licitum eſſe furtum vel autochiriam. MACHAB. *I. c. III.* GROT. *L. I. c. IV. §. VI. n. 3. et §. VII. n. 5. cf. Eſſai ſur le gouvernement civil. c. XVIII.*

CCCLXXXIX.

Ceterum quando ſubiectis armatam negamus reſiſtentiam adverſus Principem, de eo nobis Principe eſt ſermo, qui pollet ciuili imperio. Si enim nudo vtatur Regis titulo; ſi imperium ciuile in alterum transtulit, abdicauit, dereliquit; ſi regnum ad tempus teneat, vel ſub conditione, tempus autem ſit lapſum, et conditio defecerit, iam deſiit maieſtas, quam vnice negamus poſſe a ſubiectis iure violari. *cf.* GROT. *L. I. c. IV. §. 8. 9. 10. 12. et 14.* WOLF. *P. VIII. I. N. §. 1047., et 1054.*

CA-

# CAPVT XII.

## DE FORMA IMPERII MIXTA.

### CCCXC.

Maieſtas plura continet iura, quorum complexus, vt vnum totum ex variis partibus compoſitum conſiderari poteſt. Haec iura maieſtatica *partes* imperii ciuilis *potentiales* adpellantur. Imperium deinde hoc, ſi nulla ſui potentiali parte diminutum eſt, *plenum*, contra ſi aliqua tali caret parte, *minus plenum* vocatur. Grot. *I. c. III. §. 16. 17.*

### CCCXCI.

Porro vti imperium generatim, ita et ciuile imperium aliud *abſolutum* eſt, ſi ſolum ex fine et natura ciuitatis determinetur, aliud vero *limitatum*, cui nimirum pactis aduentitiis inter imperantes et ſubditos initis certus modus eſt poſitus, quo iuris competentis exercitium reſtringatur.

### CCCXCII.

Quum promittens non plus in acceptantem transferat, quam ſe transferre velle declarauit, imperans ciuilis maiorem haud adquirit qoteſtatem, quam ei per pactum ſubiectionis a populo tributa eſt. Quare abſur-



Digitized by Google

dum foret de limitis pactitii poſſibilitate, quatenus ab eo ius rempublicam gubernandi coarctatur, dubitare.

CCCXCIII.

Itaque penes populum vi ſuae originis imperium ſemper eſt plenum, atque abſolutum, a quo ſi in alium transferatur, iterum vel plenum erit ac abſolutum, vel tantum *limitatum*, aut *minus plenum*: immo nec repugnat, imperium eſſe *abſolutum* & *tamen minus plenum*, aut denique *plenum*, nec eo minus *limitatum*. WOLF. *I. N. T. VIII.* §. *95, ſeqq.*

CCCXCIV.

Sume ciuitatem, in qua princeps iure belli et pacis ſolus nullaque adiecta conditione vtatur; leges autem praeuio tantum populi vel optimatum conſenſu ferre poſſit, tributa denique indicere, vel ab optimatum, vel a populi arbitrio vnice pendeat; et imperium habebis partim abſolutum, partim limitatum, partim quoque minus plenum.

CCCXCV.

Quod ſi ſingula quidem poteſtatis legislatoriae, inſpectoriae et exſecutoriae iura vel vni, vel pluribus a populo concedantur, ea lege tamen, vt nonniſi iuxta certam formulam vel omnia, vel quaedam exerceri poſſint, et iam imperium quidem plenum prodibit, ſed tamen limitatum. Sed etiam democratia concipi poteſt limitata, ſi quorumdam iurium

vſus

vſqs ad ciuis vnius aut plurium conſenſum reſtringatur, vel ſit cautum, vt vota non ſint virilia ſed aut curiata, aut centuriata, nec maiora concludant, verum vnanimia, aut duo trientes.

CCCXCVI.

Obiicit Hobbesivs, * eum, qui ſummum imperium retinet, a remediis ad huius finem adſequendum neceſſariis non decedere, adeoque imperantem, dum talis manet, ſatis oſtendere, non obſtante pactorum limite iura imperii pro re nata libere ſe velle exercere. Enimuero Rex, qui limitatum dumtaxat accepit imperium, nequit abſoluto vti, neque ad remedia expreſſo pacto denegata recurrere; an igitur ciuium interſit a iure per pactum quaeſito aliquid relaxari, id ipſi tantum iudicabunt.

* *De Ciu. VII. 17.*

CCCXCVII.

Quoniam forma reipublicae, in qua iura maieſtatis partim ab vno, partim a pluribus, partim a toto populo, aut ſaltem non niſi duobus modis plene obtinetur, eſt mixta, patet tamen imperii miſturam non ex iurium maieſtaticorum limitatione, ſed ex partium potentialium diuiſione oriri, ſicuti populo ab initio placuerit. Vnde palam fit, multas poſſe reipublicae mixtae formas exiſtere, non niſi ex legibus fundamentalibus

in-

intelligendas. *cf.* MONTESQV. *Eſprit des loix L. IX. c. 1. ſeqq.*

CCCXCVIII.

Data republica mixta plures exiſtunt perſonae ſaltem morales, quarum quaelibet certam imperii partem vel communem vel propriam tenet, cuius nomine ab alterius hominis arbitrio non pendet. In tali igitur ciuitate iis, quos inter commune diuiſum eſt imperium, eodem pleno, atque abſoluto non niſi coniunctim vtuntur.

CCCXCIX.

Prout vero in poteſtatum ciuilium miſtura vel vnius, vel optimatum, vel populi regimen magis eminet, ita reſpublica iam monarhia, iam ariſtocratia, iam democratia mixta nominatur, quae tamen cum monarchia, ariſtocratia, vel democratia ſimplici ac pura, vel tantum limitata confundi non debent.

CCCC.

Igitur illa praemittitur denominatio, ad quam magis haec forma accedit, quaeque praeualere videtur. Quodſi nulla praeualeat, voce *aequalitatis* addita id deſignatur. Habemus autem has XVI. denominationes: *

I. Monarchico-ariſtocratica.
II. Ariſtocratico-monarchica.
III. Monarchia et ariſtocratia aequalis.
IV. Monarchico-democratica.

V.

Digitized by Google

V. Democratico-monarchica.
VI. Monarchica et democratica aequalis.
VII. Ariſtocratico-democratica.
VIII. Democratico-ariſtocratica.
IX. Ariſtocratica et democratica aequalis.
X. Monarchico-ariſtocratico-democratica,
XI. Monarchico-democratico-ariſtocratica.
XII. Ariſtocratico-Monarchico-democratica.
XIII. Ariſtocratico-democratico-monarchica,
XIV. Democratico-monarchico-ariſtocratica.
XV. Democratico-ariſtocratico-monarchica.
XVI. Monarchica ariſtocratica et democratica aequalis.

* Gvner. *Com. ad* Daries. §. 767.

CCCCI.

Imperantem, qui in republica mixta ius exercet maieſtaticum ſibi non conceſſum, nihil agere ex facultatis defectu, ſatis inter omnes conuenit; ſi vero imperium ſit ſolummodo limitatum, actus contra leges fundamentales celebratus iniuſtus quidem Grotio* videtur, ſed non inualidus. Enimuero facultas moralis ad id, quod iniuſtum eſt, ſemper deeſt, nec quisquam ex iniuria alteri fa-

facta ius conſequi poteſt, igitur verius eſt, in vtraque ſpecie actum omni robore deſtitui.

* *l. c. III. §. XVI. n. 2.*

CCCCII.

Sunt, quibus reipublicae mixtae adpellatio valde exoſa eſt. Concedunt ii quidem iurium exercitium reſtringi et communicari poſſe, ſed illam formam limitatam adpellare malunt, quam mixtam *. At ſupra oſtenſum eſt, partes potentiales iam diuidi, iam reſtringi poſſe; ſi igitur pactorum fundamentalium obligationem admittere coguntur, in aperto eſt, eos de verbis potius quam de rebus diſceptare.

* HEINECC. *ad Grot. l. III.* §. *17.* HVBER. *de iur. civ. L. I. c. 28.*

CCCCIII.

Verum aiunt, totum quoddam ex partibus inuicem pugnantibus coaleſcere non poſſe, ex quo inferunt, formam mixtam non dari, quum monarchiae definitio ariſtocratiam excludat, et viciſſim haec illam. Nos autem non dicimus formam mixtam dari vllam, quae ex integris ſimplicibus componatur, ſed eam mixtam vocamus, quae ex illis tribus aut binis aliquid participat.

CCCCIV.

Neque illud obeſt, quod maieſtas vna ſit, et vti ſupra demonſtratum eſt, indiuidua.



Digitized by Google

dua. Eſt enim vna reſpectu totius populi, et ſocietatis ciuilis, et eatenus vna ſemper manet, omnibusque aliis ex vnitate reſultantibus notis inſignitur, quod tamen haud prohibet, vt per partes potentiales inter ipſos ciues diuidatur.

CCCCV.

Id mirum eſt, quod iura maieſtatica omnia inuicem neceſſario connexa eſſe, atque adeo alterum ab altero attrahi dicant, nec vllam propterea per partes potentiales diuiſionem poſſe concipi *. Is enim nexus in origine ratione totius populi eſt neceſſarius, nſt dein imperium veluti dominium, vel penitus, vel conſectario quodam excluſo, poterit in alterum transferri. Quod ſi negatur, iam nec amplius imperium quoad exercitium limitari valebit.

* Hobbes. *de civ. c. VII. §. 4.*

CCCCVI.

Nec etiam ex ea diuiſione ariſtocratia inducitur, quia optimates aequale faciunt collegium, in forma mixta vero plures ſimul imperantes pro parte quisque ſua deprehenduntur. Demum etſi vnio ciuilis per eam formam facilius turbetur, *nihil* tamen *in ciuilibus eſt*, notante Grotio, * *quod omni ex parte incommodis careat, et ius non ex eo, quod optimum*

*huic.*

Digitized by Google

*huic aut illi videtur, ſed ex voluntate eius, vnde ius oritur, metiendum eſt.*

* *L. I. c. III. §. 17. n. 2.*

CCCCVII.

Ratio, ob quam plura inter ſe connexa ſunt, eorum efficit vnitatem; itaque et plures ciuitates vnum fieri poſſunt, ſi communi cuidam imperanti ſubiiciantur. Atque haec vnio vocatur *incorporatiua*, ſi altera ciuitas veluti pars et acceſſorium cum altera tanquam toto et principali coaleſcat, qualis vnio olim inter Romanos et Latinos tum etiam Albanos obtinuit; alia *non incorporatiua* eſt, quum ſua quaeuis iura, ſuamque formam retinet. GROT. *II. c. IX. §. 9.*

CCCCVIII.

Si plures ciuitates coniungantur absque communi imperio in eum finem, vt perpetuo vnitis viribus communia amoliantur pericula, naſcitur exinde *ciuitatum ſyſtema*, ſeu corpus Rerumpublicarum foederatarum, quali olim duodecim vrbes Achaicae, hodie prouinciae tam Helueticae quam Hollandicae continentur.

CCCCIX.

Ex hac ſyſtematis ciuitatum definitione ſequentes ducuntur concluſiones. I. Principia ſupra de patribusfamilias in anarchico ſtatu ſuppeditata, nunc ad foederatas respublicas adcommodari debent. II. Syſtema ciui-

uitatum ciuitas haud eſt, communi deficiente imperio, quae de cauſſa ab vnitis etiam regnis differt. III. Negotia communia per legatos in ſenatu coniunctos tractari neceſſe eſt.

CCCCX.

IV. Quaelibet ciuitas foederata ſuam priſtinam retinet formam ſuaque iura maieſtatica, ſed eo ipſo, quando ab hoſte impetitur, ab omnibus exigere poteſt, vt ſe vnitis defendant viribus, ne ſecus ſyſtema diſſoluatur. V. Quod ſyſtema, quum ſit ſocietas compoſita, ſalus ciuitatis vnius ſimplicis tanquam ſubordinatae praeferri non poteſt. VI. Foederatio haec oritur ex pactis, quae tamdiu ſancte ſeruanda erunt, quamdiu pars altera facit, quod conuentum fuit.

CCCCXI.

Quaenam porro ex ciuitatum formis praeſtantior ſit, vana fere eſt diſceptatio. Etenim ingenium ac populi indoles, clima, natura loci, ac ſitus variam perſaepe ordinationem reipublicae exigit. Quare boni ciuis eſt, contentum degere humana, qua parte locatus eſt in re; formam, in qua viuit, tueri, ac perſonam, quae ipſi a diuina prouidentia obtigit, fortiter ſuſtinere. Quamcunque enim eligas formam, ſua eam commoda, ſua incommoda ſequentur.



Digitized by Google

CCCCXII.

Atque democratiae quidem commoda ſunt libertas, et ſecuritas ab oneribus ſuperfluis; at tarda ſemper ſunt conſilia, facile inſuper propalata, immo et ſaepe temeraria; tum, ſi adſint demagogi vel tribuni plebis, ſeditiones frequentiores, virtutis denique excellentioris odium, quod Athenienſibus receptus docet Oſtraciſmus.

CCCCXIII.

Fulget ariſtocratia conſiliorum maturitate, quum plus videant oculi, quam oculus; molliore imperio ciuiumque opulentia. Plurima vero ſunt eius incommoda: factiones perpetuae, conſiliorum lentitudo, plebis licet virtute et meritis ornatae excluſio ab omni honore, magnitudo ſumtuum ad alendos plures regulos.

CCCCXIV.

Magis denique perditur libertas in monarchia, perpetuae conſpiciuntur mutationes, resque plena periculi eſt ſub malo et rerum alienarum cupido degere Principe. At praeſtat omnibus haec forma, quod remedia ad ſecuritatem externam neceſſaria in promtu ſint, conſilia magis occultentur, celeris obſeruetur exſecutio, atque virtuti et meritis facilior via pateat, elegantior inſuper in ea viuendi obtineat ratio.

CCCCXV.

CCCCXV.

Itaque ea eſt humanarum rerum conditio, vt etſi Polybio viſum fuerit, *eam rempublicam cenſeri debere optimam, quae ex omnibus iſtis formis ſit compoſita* *, tamen probe monuerit Tacitvs *delectam ex his et conſtitutam reipublicae formam laudari facilius quam euenire, vel ſi euenit, haud diuturnam eſſe poſſe* **. Quare ſi haec inuicem conferantur omnia, perſpicuum fiet inter has formas, ſi cetera paria ſint, facile monarchiam eminere.

* *Hiſt. l. p. 628.* Cicero. *Rep. L. II.*

** *Annal. IV. c. 33.*

# CAPVT XIII.

## DE MODIS ADQVIRENDI IMPERIVM CIVILE.

CCCCXVI.

Quemadmodum imperium in genere, ita et imperium ciuile modis ſolum deriuatiuis, conſenſu ſcilicet vel lege obtineri poteſt. Etſi igitur inſtitutio ciuitatis generatim a naturae legibus ducatur, quum tamen eadem a pacto ſubiectionis ſpeciatim pendeat, in propatulo eſt: Patribusfamilias, verum no-

nouam hanc inirent ſocietatem, an vero in veteri ſtatu manerent, conſultandi, et porro, quod maxime bonum videbatur, eligendi poteſtatem fuiſſe.

CCCCXVII.

Nulla igitur eſſe poteſt dubitatio, quin imperii publici tam democratici, quam ariſtocratici, vt et monarchici origo recte omnino ab huiusmodi expreſſo vel tacito electionis actu repetatur, quem tamen in poſterioribus duabus imperandi formis optimatum Regisue acceptatio conſequi debuit.

CCCCXVIII.

Non equidem inficiamur, imperium ſemel conſtitutum in alios ex praeſcripto legis ſaepiſſime transferri, aut etiam nouam aliquando regiminis formam introduci per vim. At praeterquam quod leges praecedentium pactorum fundamento nitantur, de ipſa nobis hic ſermo eſt iuſti imperii origine; quam etſi nonnulli a violentia repetant, attamen vnio voluntatum ſuperuenire debuit; nec enim ſine conſenſu vel vltroneo, vel ſecundum quid coacto ſocietas ciuilis cogitari poteſt.

CCCCXIX.

Ciuitas, in qua perſona ſingularis imperantis eo fine eligitur, vt illa deficiente per nouam electionem alia pro arbitrio ſubſtituatur, dicitur *electiua*, quod ſi citra omnem

nem electionem, in defuncti locum ſubrogetur, *ſucceſſiua* nominatur. Vbi demum ſucceſſor haud pro arbitrio ſed ex certa dumtaxat familia eligi poteſt, ſucceſſio obtinet *mixta.*

CCCCXX.

Vt a prima ordiamur, ciuitatis electiuae naturam hiſce explicamus. I. Ius imperii naturaliter ſolius electi perſonae inhaeret, quare deficiente illa imperium redit ad populum, cui vel alium eligere, vel veterem etiam immutare formam licebit. II. Effectum non ſortitur electio, niſi acceptetur, vnde electum inter et eligentes pactum concipitur. III. Nec minus electioni, quam aliis pactis conditiones certae adiici poſſunt, ex quibus leges fundamentales prodeunt, quae ſpeciatim etiam *capitulationis* nomine veniunt, & omnino ſervandae ſunt.

CCCCXXI.

IV. Poteſt vero populus ius, quod habet eligendi, in certas perſonas transferre, quae deinde per excellentiam *electores* nuncupantur immo electionis requiſita intuitu perſonae, loci, modi, ac temporis definire, eo fine, vt non niſi his obſeruatis electio fiat *legitima.* Electionem igitur illegitimam populus agnoſcere non tenetur. Ceterum ſolo iure eligendi, ius capitulationem facien-



Digitized by Google

di non comprehenditur, donec id ſpeciatim probetur.

CCCCXXII.

V. Electores qua tales conſtituunt collegium. Hinc naturale eſt, vt per plura ſeu *maiora* imperantem deſignent ſuffragia, quae quidem omnium eligentium reſpectu non eorum dumtaxat, qui eliguntur, numerari ſeu maiora eſſe debent; niſi populo aliud placuerit.

CCCCXXIII.

VI. Nouae electionis exercitium naturaliter a poteſtate imperantis monarchae non dependet. Quare is nec ſucceſſorem populo obtrudere, nec futuri alterius imperantis electionem impedire poteſt; cui tamen, ſi viuente adhuc monarcha eligatur, huius ſe regimini immiſcere eo inuito non licet.

CCCCXXIV.

VII. Monarchia non modo, ſed et ariſtocratia poteſt electiva eſſe. At democratia ſi ſemel ſtabilita ſit, perpetuo ſucceſſiua manet, quatenus leges fundamentales aut ciuium familiis, aut bonorum poſſeſſoribus ius comitiorum attribuunt.

CCCCXXV.

Quum ſucceſſiua imperii adquiſitio certae cuiusdam legis praeſcriptum praeſtruat, lex haec vel libera erit anteceſſoris diſpoſitio, in quem imperium cum iure alienandi translatum fuerat, vel ipſa populi conſenſio, qua

vel

vel ad familiam primi adquirentis, vel ad certum aliud perſonarum genus ius in imperium ſuccedendi, pacti more, deriuatum eſt.

CCCCXXVI.

Succeſſionem, quae priori modo obtinetur, *patrimonialem*, ſeu ſpeciatim hereditariam, quae poſteriori obtingit modo, *non patrimonialem* nuncupamus. Haec item vel erit *familiaris*, ſeu hereditaria iure familiae, vel *non familiaris*, et ſimpliciter legitima, ſi lege cautum ſit, vt alia ſuccedendi ratio habeatur, veluti ſi ſenior ciuis, vel ſenioris filius ſint vocati.

CCCCXXVII.

Iam vero de adquiſitione imperii ſucceſſiua hae tenendae ſunt regulae. I. Quia in perſona Regis eligenda id ſolum agitur, vt eius induſtria, fortitudo, prudentia, aliaeque indiuiduae ſpectentur qualitates, vt adeo ei ſoli ius populum regendi inhaereat, ideo omnis ciuitas praeſumitur electiua, atque tum demum, quando factum populi modum ſuccedendi definientis acceſſit, fit ſucceſſiua. Boehm. *P. ſp. L. I. c. III. §. 3?. Diſſentit* Hobbes. *c. VII. §. 15. ſeqq.*

CCCCXXVIII.

II. Ciuitas ſucceſſiua non ideo ſtatim patrimonialis eſt, ſed in regula familiaris eſſe praeſumitur; quum vtique imperium et facultas alienandi quam maxime a ſe inuicem

dis-

diſiungantur. Et quoniam non plus translatum cenſetur, quam quod pacto ſuit comprehenſum, etſi imperium familiae generatim concedatur, modo ſuccedendi non definito, ciuitas poterit adhuc eſſe *ſucceſſiua mixta.*

CCCCXXIX.

Si regnum patrimoniale eſſe conſtat, illud inſuper bifariam eſt conſiderandum, aliud enim patrimoniale dicitur perfecte tale, aliud imperfecte tale. Prius eſt, quum imperans territoria cum imperio ſimul diuidere poteſt, ſcilicet in partes ſubiectiuas tribuere, et ipſam gubernandi formam immutare. Poſterius ſi tantum ius transferendi imperium pro lubitu ad Regem pertineat. WOLF. *I. N. T. VIII.* §. *223. et* §. *292. cf.* SALLVST. *Bell. Iug. c. 5. 9. et 10.*

CCCCXXX.

Facultas diuidendi regnum in partes ſubiectiuas, cum pacto vnionis ciuilis tum primario ciuitatis ſcopo, ſcilicet ſecuritati, quam maxime aduerſatur; quare etſi quis a populi voluntate Regnum obtineat patrimoniale, attamen perfecte tale illud eſſe non praeſumitur, et porro quaelibet ciuitas natura ſua indiuidua eſt.

CCCCXXXI.

Equidem ſi regnum patrimoniale ex iure belli deſcendat, illud perfecte tale ſimul eſſe

vi-

videri poſſe, quod ius belli ad iura indefinita referatur. At vero vti hominem captiuum, qua talem, occidere non licet, ita nec victori ciuitatem bello ſubiectam licebit in partes ſecare; niſi nulla alia ratio finem iuſto bello intentum obtinendi ſit reliqua. *cf.* Kevffel, *ad* Grot. *L. II. c. VII.* §. *88. not. l.*

CCCCXXXII.

Etſi vero regnum ſit patrimoniale imperfecte tale, poterit tamen imperans illud, in quem voluerit, per teſtamentum transferre, vt adeo ei vocare liceat filium *ſecundo genitum* prae primo genito, aut filium mere *naturalem* prae legitimo; dummodo vocetur perſona rationis compos, non vero dementia vel furore affecta.

CCCCXXXIII.

Fas quoque erit, filium adoptiuum heredem regni facere, dein extraneum, immo feminam inſtituere, familia excluſa. Sed ſi teſtamentum a maioribus iam factum ſit, ſucceſſor, qui ex diſpoſitione anteceſſoris imperium capit, fideicommiſſo ligabitur, et ſucceſſio, quae antea fuerat patrimonialis, in ſucceſſionem *non patrimonialem* conuertitur. *cf.* Mvratori *Annal. d' Ital. ad Ann. 1700.*

CCCXXXVI.

Rege autem inteſtato decedente voluntas defuncti ex coniecturis veroſimilibus erui debet. Nequit autem praeſumi, defunctum



Digitized by Google

regni ſui diuiſionem voluiſſe, ſed contra potius indiuiſum vni deferri; qua in re iterum intereſt, an regnum patrimoniale ſolo belli iure, an ultronea populi voluntate fuerit adquiſitum.

CCCCXXXV.

Succeſſio enim in regno patrimoniali armis obtento, ſi quaeuis alia deficiat iuſta diſpoſitio, ex ordine naturali alibi expoſito ſimpliciter eſt deferenda; ita tamen, vt ordo ille naturalis per regni notionem magis determinetur; quare ſi cetera omnia ſint paria, mas feminam excludet. Ille enim ad arma et iudicia plerumque aptior eſt, haec vero imperium ad extraneos transferret.

CCCCXXXVI.

Ex eadem cauſſa perſona vel linea primogeniti ſecundo genitum, hinc nepos ex primo patruum iure repraeſentationis praecedet; nam quum regnum diuidi nequeat, ac primum natus ius prius adquiſiuerit, id mox ad deſcendentes ſuos transmiſit.

CCCCXXXVII.

Si vero regnum patrimoniale populus propria voluntate conceſſerit, non prius ordo ſuccedendi naturalis habebit locum, quam ſi deficiat hypotheticus; quorſum pertinet et mos ſuccedendi eo tempore, in regno receptus, quo imperium primo Regi fuerat delatum. Eo enim reſpexiſſe coniicitur popu-

lus,

Digitized by Google

lus, ſucceſſionem patrimonialem admittens. Atque haec ſuccedendi ratio duraret, etſi poſtea inter priuatos diuerſa ſucceſſionis norma ab inteſtato eſſet introducta. Grot. *II. c. 7. §. 11.*

CCCCXXXVIII.

Contentione inter filium nothum et adoptiuum orta ille in ſucceſſione inteſtata non reſpicitur, quia naturaliter ſequitur conditionem matris; cui conſequens eſt, vt adoptiuus tunc omnino praeferatur. Grot. *II. c. 7. §. 12. 13. 20. 30.*

CCCCXXXIX.

Ius ſucceſſoris in regno patrimoniali totum a voluntate anteceſſoris, ſiue expreſſa, ſiue praeſumta deriuatur; illum igitur populus excludere, aut nouae regiminis formulae adligare non poteſt. Quod ſi Princeps regni patrimonialis decedit, nulla prius diſpoſitione facta, et familia penitus exſtincta eſt, tunc primum populus ad primaeuam redit libertatem. *cf.* Achenwal. *Ius pub. §. 170.*

CCCCXL.

Aes alienum in regno patrimoniali ſine neceſſitate ab anteceſſore contractum quod attinet, ſoluendum erit a ſucceſſore, ſi regnum in partes ſubiectiuas diuidi et pars alienari poſſit. At ſi regnum manere debeat indiuiſum, eius partem diſtrahere expungendi aeris alieni cauſſa minime licet, et ideo ſucceſſor ab huiusmodi debitis ſoluendis, ſpectata ſola iuſtitia, eſt immunis.

CCCCXLI.

Digitized by Google

CCCCXLI.

In ciuitate ſucceſſiua non patrimoniali ſucceſſio ex pacto et prouidentia populi determinatur. Igitur neceſſe eſt pactorum habere rationem, ex quibus principia fluunt, vnde perſona ad ſucceſſionem vocanda cognoſcatur.

CCCCXLII.

Hinc tot ſuccedendi modi ſunt poſſibiles, quot concipi pacta queunt, eaque ſucceſſio erit legitima, quam conſenſus populi per legem fundamentalem inuexerit. Narrant Cathramotitas eum nobilioris ſanguinis filium ad ſucceſſionem vocaſſe, qui a ſuſcepto vltimi Regis imperio primus fuiſſet prognatus.

CCCCXLIII.

Si porro adſit certa, ex qua ſucceſſor ſumi debet, familia, haec vocatur *ſtirps regnatrix*. Quum vero plures ſaepe ſint ex ſtirpe regnatrice, quia diuidi imperium nequit, ordinem ſuccedendi inter eos lege definire oportet; vnde is, quem praeſcriptus ordo attingit, ſucceſſor erit legitimus.

CCCCXLIV.

Quare poſteriores imperantes ius ſuum non ab eo, cui immediate ſuccedunt, ſed ſolummodo per anteceſſores, ex pacto et prouidentia maiorum, id eſt, populi et primi adquirentis nanciſcuntur. Quare hi debita anteceſſorum, neceſſitate publica haud

exi-

exigente, facta ſoluere nullo modo obligantur. Grot. *l. c.* §. *19.*

CCCCXLV.

Succeſſio deinde familiaris eſt duplex, *gradualis*, et *linealis*. Prior eſt, in qua non attenta lineae ratione proximitas dumtaxat ſpectatur gradus ipſius perſonae ſuccedentis reſpectu ad vltimum poſſeſſorem, vel ad primum adquirentem habito; prout nimirum legibus fundamentalibus fuerit definitum. Grot. *II. VII. 24.*

CCCCXLVI.

Poſterior ex lineae praerogatiua pendet, ita vt regnum continuo ab vno ad alterum deuoluatur in linea recta, deficiente autem in ea ſucceſſore, fiat tranſitus ad lineam ceteris propiorem, vt adeo in ea ſucceſſione mortui habeantur pro viuis, et ius ſuccedendi a viuis in mortuos, a mortuis in viuos ſemper transferatur. Grot. *l. c.* §. 22. Keuffel. *exerc. ad* Grot. §. *90.*

CCCCXLVII.

Linealis porro diuiditur in *cognaticam*, *agnaticam* et *mixtam*. In prima primogenitus quidem ſecundo genitum, et mas eiusdem lineae feminas omnes indiſtincte excludit, aſt maſculis deficientibus feminae in ſubſidium vocantur, quae etiam ſecundae lineae maribus praeferuntur.

CCCCXLVIII.

CCCCXLVIII.

In agnatica feminae et ex iis nati, etiamſi mares, perpetuo ſunt excluſi. In mixta etiam feminae ſed non niſi poſt omnes quarumuis linearum mares admittuntur. Quae tres modo expoſitae ſucceſſiones *Caſtellana*, *Salica* et *Narbonenſis* ſeu *Auſtriaca* compellari ſolent.

CCCCXLIX.

Iam nunc pronum eſt intelligere varias de ſucceſſione lineali concluſiones, quae ex datis principiis deriuantur. I. ſucceſſio familiaris intra eos ſtat, qui a primo Rege adquirente deſcendunt, nullus ergo eſſe poteſt filiis adoptiuis locus: ſed nec ad adſcendentes vel collaterales pertinet ſucceſſio, niſi id expreſſe fuerit ctum. GROT. *l. c.* §. *15. et 16.*

CCCCL.

II. Liberi naturales tantum, et qui non ſunt ſecundum patriae leges nati ſucceſſionis incapaces exiſtunt, nec enim ex familia dicuntur eſſe ii, quorum ſanguinis nulla ciuilis adeſt certitudo. III. In ſucceſſione pure lineali nepos ex primogenito praemortuo excludit patruum ſecundogenitum; habetur enim, ac ſi ſucceſſio mortuo delata ab eo ad nepotem tranſiiſſet. GROT. *l. c.* §. *16. et 30.*

CCCCLI.

IV. Idem obtinet, ſi nepos tantum adſit ex ſecundogenito, quia tunc tertiogenito

non

Digitized by Google

non eſſet locus. V. Primogenito non obeſt eum ante regni adoptionem fuiſſe natum, nihilo enim ſecius in regia fortuna ſuſcepto potior habetur, quia reapſe primogenitus eius familiae eſt, cui toti populus regnum detulit. Exceptio foret, ſi populo in prima delatione aliud expreſſe placuiſſet. Grot. *l. c.* §. *28. 29. & 31.*

CCCCLII.

VI. In ſucceſſione lineali mixta ſeu narbonenſi frater defuncti vel ex fratre nepos praefertur filiae aut nepoti ex filia etiam natu maiori; ſed in cognatica filia et patruum et conſobrinum excludit. VII. Non tamen filius ſororis filiae fratris praeoptari debet, haec enim iure paterno vtitur, illa materno, et delato iam ad feminas regno in ea permanet linea, donec exſtinguatur; niſi lege fundamentali aliud prouiſum. *cf.* Grot. *l. c.* §. *32. 33. 34. 36. 37.*

CCCCLIII.

VIII. Quare in hac ſucceſſione filia vltimi poſſeſſoris filias omnes anteceſſoris praecedit et illarum liberos, nec enim a linea ad lineam fit tranſitus, niſi ſublata penitus linea regnatrice, aut deficientibus perſonis ad ſucceſſionem idoneis.

CCCCLIV.

Non obſtat in lineali hac ſucceſſione reſpici ad primum magis adquirentem, quam ad vltimum poſſeſſorem. Nam primus adqui-

Digitized by Google

quirens ideo attenditur, vt conſtet de eo, an quis inde deſcendat, quod ſi confectum ſit, reſpicitur ſimul etiam linea vltimi poſſeſſoris.

CCCCLV.

IX. Sicuti nepos ex primogenito praecedit patruum ſecundo genitum, ita filia ex primogenito praemortuo amita ſeu filia vltimi Regis potior eſſe debet, mortui quippe in transmittenda ſucceſſione pro viuis habentur, niſi rurſum leges fundamentales contrarium praeſcribant.

CCCCLVI.

X. Ab vna linea ad aliam non fit tranſitus, ſi in illa etiam perſonae ad ſucceſſionem vocatae reperiantur. Itaque ſi duae eſſent filiae vltimi poſſeſſoris, et ſoror prima feminam pareret, ſecunda marem, femina, vtpote regni capax, et in linea regnatrice conſtituta, marem lineae remotioris excluderet.

CCCCLVII.

Fac lege fundamentali marem praeferri; fac ſimul ex mortua ſorore primogenita filiam eſſe ſuperſtitem, et ſororem ſecundogenitam liberis adhucdum carere. Tum profecto filia primogenita ad regnum vocabitur, quae poſſeſſione non cadet, ſi forte deinceps ſoror ſecundogenita marem pariat. *cf.* MOSER *de ſucceſſ. in Regn. Boh.*

CCCCLVIII.

Digitized by Google

CCCCLVIII.

Quae hactenus de ſucceſſione in regno dicta ſunt, facile ad ſucceſſionem in ariſtocratia transferentur. Haec enim erit electitia, ſi optimates, quos voluerit, cooptet populus, et ſucceſſiua, ſi certis tantum familiis, aut praediorum poſſeſſoribus via ad ſenatum pateat.

CCCCLIX.

Poteſt vero etiam fingi ariſtocratia cum iure ſucceſſionis mixtae, ſi ius optimatum ad electionem certis familiis agrorumue dominis adligetur. Ceterum vti electio Regis a populo facta monarchiam non deſtruit, ita ſalua manet ariſtocratia, etſi proceres aliquando a populo eligantur.

CCCCLX.

Ex his autem perſpicuum redditur, quantum interſit ordinem ac modum ſuccedendi in ipſa reipublicae conſtitutione quam diligentiſſime ſanciri, ne, dum de perſona ſucceſſoris dubitatio oritur, turbis motibusque acerrimis miſceatur reſpublica. Quae definitio nec iure, nec exercitio monarchici aut ariſtocratici comprehenditur imperii, ſed legum fundamentalium eſt materia.

CCCCLXI.

Ac ideo nec ipſe, quantumuis eum abſolutum eſſe ponas, monarcha rationem ſuccedendi determinare, aut ſemel ſtabilitam

M im-

immutare, nec vero populus aliam inuita ſtirpe regnatrice, cui ſecus ius quaeſitum adimeret, ſtatuere poteſt. Licebit tamen iis, qui ſunt ex familia regnante, de iuribus ad ſe pertinentibus ſine populi detrimento pactis vel transactione diſponere. Quam in rem ſolida hiſtoriae domeſticae notitia plurimum proderit.

CCCCLXII.

Quapropter litem de ſucceſſione nec Regi ſuperſtiti decidere fas erit, quod ei cauſſa ſucceſſionis haud ſubiaceat, neque tamen iudiciali populi arbitrio videtur ſubmittenda, quia is durante ſtirpe regnatrice omni caret iurisdictione. Attamen ſi de primaeua populi voluntate verſetur quaeſtio, non abs re erit, a populo, qui idem ac olim eſſe cenſetur, deſuper ſenſum declarari, cui deinceps ſtetur.

CCCCLXIII.

Deinde vero, ne bello inter regni aemulos coorto populus in diſcrimen trahatur, extremae hic poterit neceſſitatis fauore vti, eique ſe dedere, cuius cauſſa, re rite perpenſa, videbitur probabilior, quoniam et talem iuris decidendi reſeruationem ſibi feciſſe praeſumitur, poſtquam turbas vitare quidem voluit, nec tamen ius litem hanc de ſucceſſione natam decidendi monarchae conceſſit. Optime profecto huic rei conſuletur, ſi

Digitized by Google

ſi lex condatur de modo, quo eius generis controuerſiae vel a populo vel ab vltimo Rege componantur. KEVFFEL *Exerc. ad Grot.* §. 92.

CCCCLXIV.

Lata ſucceſſionis lege, qui in ea vocatur, is proprio venit iure abſque nouo populi conſenſu, ideoque aliis rurſus pactis aut capitulationibus ſucceſſor adſtringi inuitus nequit. Quodſi integra domus regnatrix extincta ſit, legi ſucceſſionis nullus vltra locus erit, ſed edibit facultas populo, qua veterem reipublicae formam retinere, immutare, aliam ſucceſſionis formulam eligere, aut nouam familiam adſciſcere, aut denique vltimo Regi ius ſuum committere poſſit.

CCCCLXV.

Sed et illud ſaepe contingit, vt is fiat monarchae ſucceſſor, qui in minorenni adhuc aetate conſtituitur, aliaue de cauſſa rempublicam adminiſtrare nequit, qua in ſpecie tutela aut vicaria adminiſtratione opus eſt, ac in eam rem legibus fundamentalibus quoque proſpiciendum erit.

CCCCLXVI.

Quae ſi non adſint, officium eſt imperantis, cui libera adminiſtratio competit, regno per officialem publicum ſubuenire ſine noua populi voluntate, qui ceteroquin, dum nec excluſit impuberes, nec tutelam

definiuit, hanc ſpartam patris diſpoſitioni reliquiſſe praeſumendus eſt. KEVFFEL. *Exerc. ad Grot.* §. 27.

CCCCLXVII.

GROTIVS aliique putant, Regis perſonae tutorem a patre conſtitui, regno ipſi dari non poſſe, quod id non ad imperium, ſed ad habendi modum pertineat. Verum ius et modus adminiſtrandi regnum pars ipſius eſt imperii, nec habendi modo continetur. GROT. *l. c. III.* §. 15.

CCCCLXVIII.

Princeps autem, dum vel tutorem, vel vicarium nominat, de adminiſtratione dumtaxat non de ciuili diſponit imperio. Hoc enim nec tutor nec vicarius adquirit. Quare poterit Rex vicarium aut tutorem regni eodem iure facere, quo alios officiales conſtituit publicos, poſt mortem quoque duraturos, niſi legitime fuerint a ſtatione ſua reuocati.

CCCCLXIX.

Deficiente lege fundamentali aut Regis defuncti declaratione, naturale quidem eſt filii impuberis actiones generatim ab iis dirigi, quorum, veluti matris, eſt officium deſcendentem educare; ſed ſi nec talis perſona praeſto ſit, totius erit populi de idoneo tutore proſpicere.

CCCCLXX.

Digitized by Google

CCCCLXX.

Etſi enim ſaepiſſime ii, qui proximum ius ac ſpem habent ſuccedendi, tutelam impuberis nanciſcantur, id tamen pactis et conuentionibus ſingularibus tribuendum potius eſt, quam legi publicae vniuerſali; quandoquidem non praeſumitur populus in huiusmodi tutelam, a qua pupillo nimia imminere possent pericula, ab initio conſenſiſſe. *cf.* Boehmer. *I. P. V. p. ſpec. L. III. c. IV. §. 27.*

# CAPVT XIV.

## DE MODIS, QVIBVS IMPERIUM CIVILE DESINIT.

CCCCLXXI.

Reſtat, vt de modis, quibus imperium ciuile deſinit, diſpiciamus. Horum alii autem ducuntur a populo, qui regitur, ſi nimirum is plane fuerit ſublatus, alii a perſona vel ſingulari, vel morali, quae regimen gerit, quum ſcilicet populo incolumi fundamentum ceſſat, ex quo quis ius perfectum et affirmatiuum in perſonas obtineat.

CCCCLXXII.

Inprimis igitur ciuile exſpirat imperium populi interitu, qui contingit I. ſi partes omnes, ſine quibus corpus hoc artificiale conſiſtere nequit, ſimul auferantur, nec enim

exempla deficiunt populorum, quorum alii lapidibus obruti, alii terrae motu vel chaſmate hauſti, alii ponto ſubmerſi, alii vel incendiis, vel hoſtium armis ad internecionem fuerunt deleti. GROT. *L. II. c. IX.* §. 4.

CCCCLXXIII.

II. Si partes quidem populi ſuperſint, ſed ita diſſoluantur, vt nulla corporis ratio intelligatur, dum vel ſponte a ciuitate diſcedunt ciues, vel violentia quadam ita diſtrahuntur, vt conuenire inpoſterum nequeant; denique III. ſi corpus quidem aliquod ſit reliquum, ſed vel omnis, vel perfecta ſaltem iuris communio euaneſcat, quorum prius accidit perdita ab omnibus ciuibus perſonali libertate.

CCCCLXXIV.

Poſterius euenit, quum ſocietas aliqua quidem manet, aſt plena et perfecta iuris communitas eidem fuit ademta, populo in alterius ciuitatis ditionem redacto; atque haec vnio illa eſt *incorporatiua*, quae tollit genti ſubiectae imperium ciuile; ſi enim amica et aequali conuentione duo ſe vniunt populi, vt vna fiat respublica, neutrius amitti iura dicuntur, ſed inuicem communicari; quemadmodum in ſimili plurium familiarum vnione accidit. GROT. *l. c.* §. *6. et* §. *9. Diſſentit* KEVFFEL *ad Grot.* §. *99.*

CCCCLXXV.

CCCCLXXV.

Ceterum ſi partes non ſimul auferantur, ſed ſucceſſiue ciuium mutatio fiat, tum idem tamen remanet populus, eoque ſenſu ciuitates dicuntur poſſe eſſe *immortales*. Immo ſi vel pauci homines liberi ſupereſſent, ii etiam non modo dominium, ſed etiam, ſi vellent, commune imperium et porro ciuitatis iura tuerentur. Pvfend. *VIII. c. 12. §. 8.* Grot. *II. c. 9. §. 4.*

CCCCLXXVI.

Populus, animo alias terras occupandi vel hoſtium armis aut inedia compulſus e territorio migrans, poteſt omnem ac perfectam iuris communitatem retinere, ac propterea ciuile imperium non magis amittit, quam poteſtatem patriam vel domeſticam paterfamilias, qui veterem habitationem commutaret. Sane non ſtatim homo liber fit ſubiectus, quod per agrum eat vicini, ergo nec populus per alienum tranſiens territorium ideo perdit maieſtatem. *cf.* Cocceivs *ad Grot. l. c. §. 7.*

CCCCLXXVII.

Multo minus, mutata externa tantum regiminis forma, prior eſſe ciuitas deſinit. Nam neque partes eiusdem pereunt, neque totum corpus, neque primaeuum illud, quod ſufficere diximus, pactum vnionis ciuilis ceſſat, alio licet pacto formae ſpecialis adiecto. Quare populus

iis-

iiſdem vtetur iuribus ac obligationibus generatim in monarchia, quibus vtebatur in democratia aut ariſtocratia, ac viciſſim. Grot. *l. c.* §. *VIII. cf. tamen* Pvfend. *L. VIII. c. XII.* §. *4.*

CCCCLXXVIII.

Non eadem quidem eſſe intelligitur ciuitas, ſi populus, vel armorum iure, vel vltronea conuentione, vel Principis regno perfecte patrimoniali vtentis voluntate in duas partes ſubiectiuas diuidatur. Attamen tunc non tam ceſſat ciuile imperium, quam potius pro vna duae exiſtunt maieſtates; quod ipſum accidit, ſi colonia a populo ea lege diſcedat, vt non vrbis matricis nomine, ſed ſuo iure ſuisque auſpiciis ſibi nouas aedes quaerat. Grot. *l. c.* §. *10.*

CCCCLXXIX.

Populo incolumi ceſſat ciuile imperium Regis morte, quod tamen vti in ciuitate ſucceſſiua ad legitimum ſucceſſorem transmittitur, ita in electiua ad populum pertinet, quod idem obtinet extincta tota ſtirpe regnatrice. Quare tunc populus nec in ſyſtema ciuitatum, nec in anarchiam incidit, quia in forma etiam democratica ſocietas ciuilis durat, atque vi vnici pacti, puri quo ſinguli ſe vniuerſis ſubiecerunt, ſuſtinetur.

CCCCLXXX.

Digitized by Google

CCCCLXXX.

Ex quo ipſo illi refutantur, qui ciuitatem generatim duobus nonniſi pactis et vno decreto coaleſcere docent, quod eam abſurdam admittere concluſionem cogantur, Rege electiuo mortuo, vel deficiente familia regnatrice, ciuile diſiungi vinculum, atque iura populi maieſtatica interim exſpirare. Sed nos trium pactorum neceſſitatem ſupra exploſimus. *cf.* Lynker. *ad Huber. ius ciuit. L. I. c. VII. §. 7. not. c.* Boehm. *I. P. U. L. III. c.* 4. §. 5.

CCCCLXXXI.

Status monarchiae, in quo ſedes regia vacat, ſeu tempus illud, quod a deceſſu vltimi monarchae vsque ad noui electionem, excurrit, vocatur *interregnum.* In hoc maieſtas penes populum reſidet, in cuius voluntate ſitum eſt, an iura maieſtatica ſibi perpetuo retinere, an nouum Regem eligere, an rempublicam interea per alios, id eſt *regni vicarios*, adminiſtrare velit. Horum vtpote reipublicae adminiſtratorum, publicorumque regni officialium iura ex lege fundamentali et populi conceſſione dimenſionem accipiunt.

CCCCLXXXII.

Etſi deinde populus electoribus quibusdam ius eligendi conceſſerit, id ius maieſtatem haud comprehendit, alterum enim ab alte-

altero facile poteſt ſeparari. Nec putandum eſt, quum a nulla ciuitate ſubiectum maieſtatis excludi valeat, penes electores eam tunc reperiri oportere, quaſi ipſi imperium ciuile gerant, nec ſecus aliis id conferre poſſe videantur.

CCCCLXXXIII.

Subiectum etenim maieſtatis eſt populus, cuius nomine electio peragitur. Ac licet electores imperium ciuile concedant, non tamen id iure proprio, ſed eiusdem populi eos deſignantis nomine fit; quemadmodum ciuis, in quem compromittitur, huius compromiſſi poteſtate eligit. Plane, ſi electores maieſtatem haberent, iuribus quoque maieſtaticis nequaquam deſtituerentur, quum tamen vicario regni adminiſtratio dari, et contra aliis ius eligendi tribui poſſit. *Diſſentit* DARIES. *I. I. V.* §. *780*.

CCCCLXXXIV.

*Abdicat* imperium, qui populo expreſſim declarat, ſe iuribus renunciare maieſtaticis, *derelinquit*, qui factis indubitatis monſtrat, ſe inpoſterum populum gubernare nolle. Vtroque actu imperium amittitur, atque poſt amiſſionem Rex in territorio manere pergens ſtatum ſubditi amplectitur. Ita praeter alios Carolus V. Caeſar imperium abdicauit. Contra Poloniam tacite dereliquit Henricus Saleſi.

leſius, quod idem de Carolo XII. Rege Sueciae ad Turcas profugo adfirmari nequit.

CCCCLXXXV.

An monarcha inuito populo regno diſcedere poſſit, diſceptatur. Qui negant, pacti vrgent vinculum, a quo niſi mutuo conſenſu reſiliri nequeat. Qui adfirmant, his mouentur rationibus, quod populus etiam ab alio aeque bene poſſit gubernari; nec qui regimen ſuſcipit ideo ad vltimum vitae momentum, ſe id retenturum eſſe promittat, quod ipſum neque populus intenderit. Wolf, *I. N. T. VIII. §. 366.*

CCCCLXXXVI.

Igitur innoxia abdicatio omnino licebit, non autem intempeſtatiua, qualis imminente bello vel in aetate futuri ſucceſſoris pupillari ſuſciperetur; quae etiam tum eſſet illicita, ſi expreſſe conuentum foret, ne iure quis abdicandi vtatur. Tale pactum Polonis cum Michaele Wieznowiczio interceſſit.

CCCCLXXXVII.

Ceſſat etiam imperium alienatione vel ceſſione iure facta; ſi nimirum Rex patrimoniali regno gaudebat. Quodſi regnum fuerit vſufructuarium, alienatio inuito populo irrita et nullius eſt effectus. Imperans tamen maieſtatem ideo non amittit; nec enim derelinquendi animum ſimpliciter, ſed tantum ſub conditione habuiſſe cenſendus eſt, ſi in alium

tranſ-

translatio permittatur. Ceterum an pars territorii ſiue alienari, ſiue deſeri aliquando poſſit, ſupra dictum eſt. *cf.* BOEHMER. *L. III. c.* 4. §. 9.

CCCCLXXXVIII.

Verum illud ſaepe acerrime diſputatum eſt, an ſeu renunciatio ſeu derelictio liberis noceat. Res diſtinctione dirimitur; pro liberis nondum natis, nec in vtero materno exiſtentibus, quod iſti nec ius, nec iuris adquirendi ſpem habeant, renunciatio valet. Pro iam natis, aut ſaltem conceptis Regi fas non erit, renunciationem interponere, quia iam natis ius, foetui ſpes iuris per natiuitatem adquirendi interuerti nequit. GROT. *II. c. IV.* §. *10. et II. c. VII.* §. 2. KEUF. *ad Grot.* §. *91.*

CCCCLXXXIX.

Ad renunciationem pro liberis nondum conceptis faciendam non opus eſt conſenſu populi, nec enim in prima regni delatione ius a populo in necdum conceptos transferri potuit, quod iis ab eodem ſit adimendum. Sed nec nuda patris abdicatio ſine liberorum mentione facta his nocebit, quod eos pater, ſi poſſit, et velit, expreſſis verbis excludere debeat. WOLF. *I. N. T. VIII.* §. *366. ſeqq.*

CCCCXC.

Sed ais: venire ius liberorum a populo, eique adeo renunciari a patre non poſſe. At quamuis a populo ius proficiſcatur, id ta-

Digitized by Google

tamen ita fuit conceſſum, vt ab adſcendentibus ad deſcendentes transmittatur. Iam vero ſi eo, quo liberi concipiuntur, tempore, pater nullum ius habuit, nihil quoque fuit, quod transmitti potuerit.

CCCCXCI.

Porro adimitur ius imperii exheredatione in regno patrimoniali, de quo Rex pro arbitrio diſponere poteſt. Nihil vero operatur exheredatio paterna in regno non patrimoniali. Quum enim tunc filius iam conceptus ius ſuum a populo per patrem adquiſiuerit, nihilominus ad ſucceſſionem veniret; neque patris eſt determinare regni habendi modum, nec ius de regno diſponendi ad maieſtatem ſpectat.

CCCCXCII.

Dicunt quidem, filium rebellem a patre morte omnino puniri poſſe, adeoque multo magis poenam mortis in exheredationem commutari. Enimuero ius vitae et necis ius eſt maieſtaticum, quo imperans pater ſicut cuiuslibet alterius ciuis, ita quoque filii intuitu gaudet, aſt ius diſponendi de ſucceſſione imperio ciuili comprehenſum non eſt.

CCCCXCIII.

Sed etiam furore vel dementia Regi ſuperueniente imperium deſinit, modo nulla plane ſpes adfulgeat, eum ad ſanam mentem rediturum. Eo enim ſtatu impoſſibile fit finem

nem ſocietatis adſequi, atque eatenus imperans pro mortuo eſt habendus. Qua ratione nuperrime Carolus Hiſpaniarum Rex auditis imperii ordinibus Philippum filium regni incapacem declarauit, filiisque natu minoribus ſucceſſionem detulit.

CCCCXCIV.

Contra maieſtas non deſinit tum, quum leges fundamentales ab imperante violantur. Non enim ex ea violatione plus ſequitur, quam imperantem plura, ac ſibi conceſſa fuerint iura adrogaſſe, vnde porro inferri nequit, eum etiam iura, quae vere habuit, amiſiſſe. Igitur ſatis eſt, irritum eſſe actum ſuſceptum ab eo, qui facultate agendi carebat.

CCCCXCV.

Pactum Rectoris ciuitatis cum ciuibus initum, vt violatis legibus fundamentalibus imperio cadat, dicitur *clauſula. vel lex commiſſoria.* Quae vtique ſaluis legibus naturalibus regiminis delationi ſuperaddi poteſt, quum paciſcendi modus a ſolo contrahentium arbitrio pendeat.

CCCCXCVI.

Quoniam vero, an leges fundamentales violatae ſint, facti eſt quaeſtio, dein licet ipſum factum manifeſto commiſſum ſit ab imperante, tamen ius eminens ob ſummam reipublicae neceſſitatem obtendi poteſt, neque addita lege commiſſoria imperium ſtatim amitti-

titur, etſi aliquid fiat, quod pactis conuentis aduerſatur. Ideo viri a principe et populo deſignati, debitaque ad id poteſtate inſtructi de facto eo cognoſcant, et leges fundamentales cuſtodiant.

CCCCXCVII.

Factum eſſet manifeſtum, ſi Rex contra conuentionem a regno diſcederet, ſiue vxorem duceret peregrinam: igitur ſi factum princeps ipſe fateatur, negetque neceſſitatis cauſſam, tum tacite ſe regno abdicat. Aliter ſi ſtatuas lex commiſſoria erit inefficax; deeſſet enim modus ſufficiens de facto iudicandi, idemque foret, ac ſi res pro pretio ab incerta perſona determinando venderetur.

CCCCXCVIII.

Etiam depoſitionem a ſubditis attentatam, *dethronizationem* vocant, ad modos amittendi imperii referre aliqui non dubitant. Quum tamen ſubditi iudicium ſibi in imperantem adrogare nunquam poſſint, ille vero, qui totam euertere ciuitatem molitur, eo ipſo furore aut dementia correptus eſſe videatur, vt eum non iam deponi, ſed velut incapacem cuſtodiri oporteret, euidens eſt, depoſitionem ad modos, quibus maieſtas pereat, minime pertinere.

CCCCXCIX.

Neque magis error, malitia, aut dolus in religione commiſſus principem throno deiicit,

iicit, quod nemo in terris eo ciuiliter ſit ſuperior, atque licet peccet, modo alios non laedat, iure ſuo aut rebus priuari nequeat.* Sed et illi, qui licitam putant eſſe reſiſtentiam, propterea et depoſitionem admittere neceſſe non habent, quod ab illa ad hanc nulla valeat conſecutio.

* *cf.* EGINH. *Annal. ad a. 750.*

D.

Quaeritur et illud, an veniente vſurpatore regnum perdatur. Vſurpator autem vel inuaſor is dicitur, qui ſine iuſta belli cauſſa, vi vel dolo maieſtatem ſibi praeripere conatur; qualis etiam, vt a tyranno ſeparetur exercitio tali, *tyrannus titulo tenus* dici ſolet. Hic ſi ſit extraneus, *invaſor* in ſpecie, ſi ſubditus, *rebellis* eſt. Ita Alexander M. inuaſor, Caeſar et Cromuellus rebelles adpellantur.

DI.

Quum ex ſola maiori virium phyſicarum quantitate fortior facultas moralis haud intelligatur, nec detur ius victoriae, niſi acceſſerit pactum pacis, conſequens eſt: vt ſecuta inuaſione ac vſurpatione totius territorii, propterea non deſinat ciuile imperium, ted tantum eius impediatur exercitium, donec inita pace et ipſi ciuitatis regimini legitime fuerit renunciatum.

DII.

Digitized by Google

DII.

Quia vero Rex eiectus rempublicam adminiſtrare nequit, ideo ſubditi, qui ſeſe inuaſori ſubiecerunt, vbi is in quieta fuerit poſſeſſione, eidem tenentur obedire, non quidem ex inuaſoris iure, quod nullum eſt, ſed ob vniuerſale bonum, ex quo ille etiam, qui ius imperandi habet, velle non poteſt, vt populus intereat potius, quam inuaſori ſe ſubmittat. Quare et vi obligationis rectoriae tenetur iuramentum fidelitatis interim non vrgere.

DIII.

Quamprimum autem ſubditi a legitimo ſuo imperante defendi poſſunt, iam obligabuntur ad eum redire, quia iuri alteri quaeſito in perpetuum praeiudicare nequeunt. Quodſi populus ipſe antea in democratia conſtitutus fuiſſet, vitium, quod ab initio vſurpationi inerat, ſubſequente ſaltem tacito populi conſenſu deleretur.

DIV.

Itaque fides inuaſori data ius legitimi Regis minime tollit, ſed propter conflictum obligationis ſe conſeruandi cum obligatione Rectori ciuitatis, qui ius ſuum exercere nequit, praeſtandi obedientiam, ita fieri oportet exceptionem, vt minus malum maiori praeferatur. Sane ſi pereat populus, ius quoque imperantis penitus exſtinquitur, ſi au-



Digitized by Google

tem vitandi interitus cauſſa obediat vſurpatori, ſpes tamen adfulget legitimo Regi, vt mutato rerum ſtatu, priſtina maieſtatis iura exercere poſſit.

DV.

Inde intelligitur, an et quando vſurpator iure occidi queat. Si enim ipſa duret inuaſio, omnia belli iura in extraneum adgreſſorem exercere, contra ciuem rebellem vero ſimul exſecutionem iuris puniendi, non minus quam contra viarum graſſatorem cuilibet committere licebit. Poſtquam autem inuaſſor iam rerum potitus eſt, et armata populi deſiit reſiſtentia, ſtandum omnino erit expreſſo vel tacito parendi pacto, neque quidquam hoſtile interea tentandum. Quare lex fundamentalis, aut expreſſum Regis eiecti mandatum de occidendo vſurpatore tunc demum valebit, ſi quieta imperii adminiſtratione nondum vtatur. Grot. *l. c. IV. §. 16. 19.*

DVI.

Quod demum ea concernit, quae vſurpator geſſit, haec tenenda eſt regula: quae ad imperii adminiſtrationem pertinent, ſiquidem quaſi nomine legitimi imperantis ſuſcepta videntur, nonniſi eo modo reſcindi poterunt, quo etiam ea, quae a legitima poteſtate geruntur, ob vtilitatem publicam, vel neceſſitatem immutari, aut ob iuſtam poenam irrita reddi valent. Reliqua firma manent, ne alias respublica ſummis perturbationibus miſceatur.

Digitized by Google

# ELENCHVS CAPITVM.

## PARTIS I.


I.

De anarchia et ſine ciuitatis.

II.

De ciuitatis nexu, eiusque iure generatim.

III.

De ciuilis imperii proprietatibus.

IV.

De iure ferendarum legum.

V.

De ſuprema imperantis inſpectione et iure politiae.

VI.

De poteſtate imperantis exſequente.

VII.

De iure circa bona et munera ciuitatis.

VIII.

De iure imperantis circa religionis negotia.

IX.

De officiis eorum, qui gubernant ciuitatem.

X.

De officiis ſubditorum ciuitatis.

XI.

De forma imperii et quidem ſimplici.

XII.

De forma imperii mixta.

XIII.

De modis adquirendi imperium ciuile.

XIV.

De modis, quibus imperium ciuile deſinit.


PAR-

Digitized by Google

# PARTIS II.


XV.

*De iure gentium generatim.*

XVI.

*De aequalitate aliisque cum eadem connexis iuribus.*

XVII.

*De gentium humanitate.*

XVIII.

*De iuſtitia gentium abſoluta.*

XIX.

*De iuribus gentium circa dominia et proprietatem.*

XX.

*De officiis inter gentes, quae vtilitatis ſunt innoxiae.*

XXI.

*De conuentis et ſponſionibus publicis.*

XXII.

*De legationibus.*

XXIII.

*De eo, quod iuſtum eſt inter gentes circa belli initia.*

XXIV.

*De eo, quod in hoſtem publicum licet.*

XXV.

*De conuentis bellicis et pactione pacis.*




Digitized by Google

# POSITIONVM
## DE
# IVRE CIVITATIS
## *PARS II.*
## SEV
# IVS GENTIVM.



Digitized by Google

Digitized by Google

# CAPVT XV.

## DE IVRE GENTIVM GENERATIM.

DVII.

Abſoluta illa parte iuris ciuitatis, quae mutua imperantium et ſubditorum officia, ſiue iura maieſtatica *immanentia* complectitur, ad alteram iam partem progredimur, quae de officiis agit diuerſarum ciuitatum inter ſe, ſeu de iuribus maieſtaticis *tranſeuntibus*, quorum complexus nomine *iuris gentium* iam inde a vetuſtiſſimis temporibus innotuit. LIVIVS *XXI. 10.* CORN. NEPOS, *Themiſtocl. VII. 4.*

DVIII.

Scilicet gentis adpellatione integra familiarum multitudo continetur, quae *vel* genere et agnatione, *vel* patrio ſolo ac moribus, *vel* ſimul perpetuo liberae ſocietatis vinculo

ad mutuam ſecuritatem ſub eodem communi imperio inter ſe colligatae ſunt. Atque haec poſtrema ſignificatio propria eſt huius loci. *cf. L. 195. §. 2. de V. S. L. 6. de capt. et poſt. rev.* SERVIVS *ad Virgil. Aen. 1. 67.*

DIX.

Igitur nationes, populi liberi ac ciuitates, ſiue regna ſint, ſiue respublicae etiam foederatae, quacunque demum regiminis forma vtantur, communi gentium nomine veniunt; cui quidem nec nexus clientelae, nec pactum de alterius maieſtate comiter veneranda, nec obligatio ad annuum tributum, nec contractus feudalis, ſed ſtatus tantum ſubiectionis obſiſtit. Vnde prouinciae, quae alterius imperio parent, etſi ſingularibus praerogatiuis ſint inſtructae, gentium nomen tueri haud poſſunt.

DX.

Patresfamilias, qui conuenerunt in ciuitatem, quoad actiones ſuas permiſſas ab arbitrio quidem totius ſocietatis pendere, atque eatenus ſtatum aduentitium amplecti voluerunt; quod autem ad peregrinos homines vel coetus attinet, quibuscum nulla inita eſt ſubiectionis, ſeu vnionis ciuilis pactio, cum his antiquus, hoc eſt, naturalis ſtatus inuicem retentus eſt, qui non omnem quidem ſocietatem, ſed illam tantum, quae cum imperio humano copulata eſt, excludit.

DXI.

Digitized by Google

DXI.

Inde compertum eſt, naturalia iura, quibus gaudebant ſinguli ante vnionem ciuilem, facta hac vnione, intuitu extraneorum non fuiſſe diminuta, ſed quoad eius fieri poterat, cum ſociis communicata, integra ſemper apud ciues vniuerſos permanſiſſe.

DXII.

Sed nec vlla oriri poteſt dubitatio, quin obligationes ac leges naturales, quae ad vnumquemque hominem ſegregem antea pertinuerunt, etiam omnibus in ciuitatem congregatis, totique adeo genti, tanquam corpori myſtico et perſonae morali incumbant, vt haec non modo curam habere debeat religionis ac philautiae, ſed etiam prodeſſe aliis gentibus ac potiſſimum ab earum laeſione abſtinere.

DXIII.

Sane rationis praecepta ab omni mutatione abhorrent, vt nec inſtitutis hominum conciliis tolli, nec arbitrio poteſtatis ciuilis euerti vllo modo poſſint; quin immo ſocietatem naturae regulis aduerſam vetitam irritamque eſſe ſatis conſtat. Vnde conficitur, iura et obligationes gentis, quaſi totum quoddam ex iuribus et obligationibus ſingulorum veluti totidem partibus coaleſcere, gentem itaque fortius, quam hominem obli-



Digitized by Google

gari, nec eamdem prorſus vnius atque alterius obligationem eſſe.

DXIV.

Et quia cuilibet homini, ac ſocietati noua quaedam iura adipiſci, nouasque contrahere obligationes licet, nil profecto repugnat; quin etiam gentes eodem modo ſibi ipſis proſpicere, vel fidem ſuam aliis populis adſtringere valeant. Immo vero ſunt multa iura, multaeque obligationes, quae etſi non cadant in ſingulos, tamen in totam cadunt ſocietatem, vtpote quae coniunctis viribus ampliora loca occupandi, et poſſidendi ius habet, atque aliorum neceſſitatibus excellentiori quadam ratione ſubuenire apta eſt.

DXV.

Ita partem maris, fluuium, inſulam in poteſtatem ſuam redigere gentes poſſunt, homines ſinguli non poſſunt; contra hi celebrant nuptias, patria vtuntur poteſtate, alios adoptant in filios, quae iura toti genti, vt vni perſonae morali et corpori myſtico conuenire nemo dixerit. Quare etiam ſuum gentis a ſuo hominis eſſe diuerſum, facile eſt intelligere.

DXVI.

Atque hoc pacto confectum eſſe arbitror, vt in quacunque demum ſignificatione iuris vocabulum vſurpetur, etiam ius gentium exiſtere intelligamus. Eſt enim et inter

gen-

gentes, vel quae eaſdem repraeſentant, comitia ciuium, ſenatus optimatum et Monarchas aliquid, quod conuenit, ac oportet facere, cuius porro agendi vel omittendi facultate morali populi omnes et eorum Rectores vtuntur; ſunt leges, quibus iidem ſuas actiones attemperare debent, atque iſtarum legum complexus, ſeu *ſcientia eorum, quae inter gentes licita ſunt, vel illicita*, *iurisprudentiam gentium* conſtituit.

DXVII.

Equidem officia ciuitatis et gentis tam erga Deum, quam erga ſe ipſam in iure publico vniuerſali cum iuribus maieſtaticis internis examinauimus; ea igitur huius non ſunt loci, in quo iura maieſtatica externa pertractanda veniunt; nec ſi quis a prioribus diſceſſerit populus, ideo dicitur ius gentium violaſſe. *cf.* Ickstatt. *I. G. L. I. c. I. P. 7.*

DXVIII.

Neque huc pertinet illa iuris gentium acceptio, qua *ius, quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit.*, deſignatur, quaſi quo iure omnes gentes vtantur; hoc enim nil aliud quam ipſum eſt ius naturale hominum ſimpliciter tale, atque idcirco nomine iuris gentium a nonnullis inſigniri conſueuit, vt ſic iuri naturae brutorum, ſi ita adpellare fas eſt, opponatur. *§. 1. Inſt. De I. N. & G. L. 9. D. de I. et I. L. 84. D. de R. I.* Cicero *Off. III. 1.*

DXIX.

Quoniam iura ac leges populorum inter ſe, vel ex ipſa eorum eſſentia atque natura, ſiue ſimpliciter, ſiue ſub certis circumſtantiis conſiderata, vel ab aliis externis tantum factis deriuantur, tenemus cauſſam, cur ius gentium aliud *naturale* ſeu philoſophicum, aliud *poſitiuum* ſen hiſtoricum dicatur, curque ius naturale gentis, aeque ac ius naturale hominis primo in *abſolutum* et *hypotheticum* abeat, dein vero iisdem generalibus exiſtendi ac cognoſcendi principiis, iisdemque proprietatibus vtatur.

DXX.

Itaque ius naturale gentium in diuina eſſentia et voluntate fundamentum habet, rationis vſu intelligi, atque ex finibus rerum creatarum manifeſtiſſimis deduci, et demonſtrari poteſt, eidemque immutabilitas, neceſſitas, aeternitas, atque vniuerſalitas non minus ac iuri naturali hominum recte tribuitur.

DXXI.

Nunc ad illam perplexam ceteroquin quaeſtionem, vtrum ius naturae et gentium ſit vnum, idemque ius, an vero vti obiecto, ita et regulis ab inuicem diſtinguantur, in promtu erit reſpondere. Ius enim gentium *poſitiuum*, ſi aliquod eſſe admittatur., ab omnibus iuris naturae partibus differre, nemo



Digitized by Google

mo ſanus negauerit; contra ius gentium *naturale* ex eisdem profluere fontibus, e quibus ius naturae hominum hauritur, et easdem porro eſſe generales vtriusque diſciplinae regulas rurſus apud omnes in confeſſo eſt. Quum tamen natura hominis a natura gentis vtique ſit diuerſa, ideo fit, vt exiſtant omnino concluſiones non paucae, quibus etſi actiones ſingulorum hominum haud regantur, iis tamen facta integrarum gentium adplicanda ſint.

DXXII.

Scilicet vti ex vno fonte plures riuuli promanare poſſunt, ita et ius naturale in quatuor partes diſtribui alibi vidimus. *Prima* actiones hominum, *ſecunda* actiones ſociorum generatim, *tertia* officia ciuitatum interna, et *quarta* officia ciuitatum externa explanat; quas ſingulas partes non ſatis diſtinxerunt primi huius diſciplinae conditores*. Sane aliter naſcuntur homines, aliter gentes; hae aliter ac illi viuunt, creſcunt, atque intereunt, et porro aliter etiam perfici aut violari poſſunt. Cicer. *de rep. L. III. cf.* Daries. *Obſ. I. N. VI.*

* Grot. *L. I, 14.* Hobb. *XIV. 4.* Pufend. *I. N. & G. II. III. 23.*

DXXIII.

Vtrum vero ius gentium dicatur ius naturae ad negotia gentium adplicatum vti volunt Hobbesivs* Heineccivs** alii, aut potius

ius

ius naturae per notionem gentium magis determinatum, vt placet DARIESIO ***, inanis eſt verborum velitatio, quoniam concluſiones inde deductae ideo non ſunt in dubium reuocatae. At vtrumque potius coniungendum videtur, vt adeo rectius ius gentium definiatur, eſſe *ius naturae ad negotia gentium adplicatum, atque per notionem earum magis determinatum.*

* XIV. 4.
** El. I. N. L. I. §. 21. ſeqq.
*** Obſ. VI. §. 14.

DXXIV.

Nec minor eſt doctorum hominum diſſenſus in ſtatuendo iure gentium poſitiuo, quippe quod nonnulli merum putant eſſe figmentum, contra alii in peculiarem redegerunt diſciplinam; quamquam et hi duplici ratione diſcrepant inter ſe, primo an huiusmodi leges communes ſint, ac vniuerſales, an vero tantum particulares, et quorumdam populorum propriae, deinde quibusnam principiis, et fundamentis eaedem potiſſimum innitantur.

DXXV.

Qui primus iurisprudentiam gentium voluntariam fundauit HVGO GROTIVS * pacta expreſſa et mores adduxit omnium vel ſaltem multorum populorum, quibus, vt maius adderet robur CHR. WOLFIVS **, naturalem gentium

tium democratiam finxit, cuius ea eſſet vis, vt quidquid maiori numero placeret, aut non placeret, id etiam reliquae perſonae morales maximae huius ciuitatis amplecti, aut repudiare tenerentur. Quae duae opiniones, quoniam haud ſatis firmae videbantur Vattelio *** ipſe ad conuentiones ob mutuam neceſſitatem, atque vtilitatem praeſumtas prouocauit.

* *De I. B. et P. l. I. §. 12. n. 2.*
** *I. G. Prol. §. 19. 20.*
*** *Droit des gens. proleg. §. 21.*

DXXVI.

Enimuero pacta inter omnes populos diſerte aut tacite celebrata in medium produci eo minus poſſunt, quod plures ſunt nationes, quae vix nomine, nedum ſocietate et commercio aliis innoteſcunt; democratiam vero naturalem quod attinet, ea tunc primum firmo ſtaret talo, ſi vti vnusquisque paterfamilias toti ciuili coetui, ita et ſingulae gentes earum vniuerſitati ſuas voluntates ſubieciſſent, quod quum factum fuiſſe oſtendi nequeat, naturale eſt, vt haec ciuitas maxima non a populari, ſed a Dei vnius imperio pendeat.

DXXVII.

Denique pactorum praeſumtio, quoniam haec veritati ſemper cedere debet, etiam contraria cuiuslibet populi declaratione infirmari-

ri poſſet, aut ſi conſenſus lege naturali praeſcriptus, et ideo firmus et irreuocabilis eſſe dicatur, leges exiſtent neceſſariae ſolius rationis lumine et ſine alio facto cognitae, perperam porro cum iuribus miſcebuntur poſitiuis. Vnde intelligitur, ius gentium voluntarium et vniuerſale eſſe nullum.

DXXVIII

Illud tamen nemo iuerit inficias, eſſe magnum huiusmodi conuentionum aliarum ſuper alias coaceruatarum cumulum; eſſe etiam conſuetudines, vſu et moribus inter Europae populos potiſſimum intoductas; ad quarum cuſtodiam ſingulae gentes eo fortiori iuſtitiae uinculo obſtringuntur, quo minus iuris ſemel agniti poſſeſſione alios detrudere licet.

DXXIX.

Equidem talium pactorum morumque complexum leges eſſe negat PVFENDORFIVS, HEINECCIVS aliique, quod eo nomine non niſi praecepta ſuperioris venire arbitrantur; aſt iam alibi oſtenſum eſt, hos non tam rerum, quam verborum controuerſia torqueri. Quamquam quas inter conſuetudines ſaepe recenſent corruptelas, probe ab inuicem ſecernere oporteat. ICKSTATT. *I. G. L. VI. c. I. ſeqq.*

DXXX.

Digitized by Google

DXXX.

Pluribus indiget ſubſidiis iſtâ diſciplina, ſiquidem praeter ius naturae, ius publicum vniuerſale, et ius gentium philoſophicum comparandae etiam ſunt notitiae rerum publicarum, et hiſtoriae populorum, tum pacta, foedera, ſanctiones pacis, ceremoniae et obſeruantiae regionum penitus ſunt noſcendae, quod non niſi magno cum acumine longaque praxi obtineri poteſt. *

* *cf.* Ev. Otto *Not. Rerump. Traiect. 1739.* Moser *Ius gentium temp. pacis. Tubing. 1752. Et tempore belli. Franc. 1763.* Achenwall. *Conſtit. Regnor. Europ.* lingua germ edit. *Gotting. 1762.*

DXXXI.

Quam praeſtabilis autem ſit iuris gentium naturalis ſcientia, quamque interſit humani generis eamdem rite pertractari, vel inde ſatis colligitur, quod homines iam admodum pauci ſint, qui poſt introductas ciuitates lege tantum vtantur naturali: contra gentes primaeui adhuc ſtatus tenaces communi hoc omnium iure potiſſimum cenſentur, cuius porro ignorantia aut violatio non vni modo alteriue homini, ſed integris ſocietatibus infelicitatem ipſumque interitum maturare poſſet. Grot. *I. B. et P. proleg. §. 2.* Boehmer. *I. P. V. P. ſp. cap. III. §. 47. ſch. a.*



Digitized by Google

DXXXII.

Ceterum cum iure gentium *ratio ſtatus* confundi non debet; haec enim non id, quod iuſtum, ſed quid in ſpeciebus obuenientibus vtile ſit, declarat. Quapropter, quae alibi de diſcrimine inter ius naturale et politicam generatim tradita ſunt, etiam ſpeciatim ad ius gentium et rationem ſtatus oportet adplicare.

# CAPVT XVI.

## DE AEQVALITATE GENTIVM, ALIISQVE CVM EADEM CONNEXIS IVRIBVS.

DXXXIII.

Quandoquidem gentes ſingulae vt totidem perſonae morales, quae viuunt in ſtatu naturali, quaeque adeo iuribus primaeuis fruuntur, conſiderandae ſunt, conſequens eſt, vt eaedem tum ſeſe immunes ab omni periculo conſeruare, tum vero independentiam ab alterius arbitrio et plenam cum reliquis gentibus aequalitatem moralem tueri iure poſſint. Quare quidquid aliae aliarum in cauſſis iuſtum aut aequum crediddiſſent, id in-

Digitized by Google

in ſuis quoque cauſſis vt valeat, etiam pati tenebuntur. Phaedr. I. 25.

DXXXIV.

Inde manifeſte conficitur, vt quisque populus non modo animo, corpori, bonis, rebusque ſingulorum ciuium ab externis etiam iniuriis praecauere obligetur vi vnionis ciuilis, ſed etiam vt iuribus iis gaudeat, quibus efficere poſſit, vt haec ipſa vnio et forma reibublicae, leges fundamentales, iura maieſtatica, et eorum vſus perdurent; contra illa omnia, quae vinculum ciuile diſſoluere, et ita interitum ſibi adferre poſſent, auerruncentur.

DXXXV.

Ex aequalitate ciuitatum earum quoque independentia facile intelligitur. Quare illae actiones ſuas libere, ac nemine alio conſulto determinare poſſunt, dummodo ab aliarum laeſione abſtineant; hinc in his terris nulli Domino aut ſuperiori, nulli iudici aut iurisdictioni ſubiiciuntur, ac porro ab obſequio et poena ſtricte tali ſunt immunes.

DXXXVI.

Denique et formam imperii, quae magis placet, eligere, eamdem mutare, titulos, quos volunt adſumere, iuraque omnia maieſtatica ex proprio arbitrio exercere valent, ita vt nemini ſiue homini, ſiue genti factorum ſuorum rationes reddere obligentur.



Digitized by Google

DXXXVII.

Itaque inſpecto iure gentium abſoluto titulum Imperatoris, Regis, Ducis in ſuo et ab aliis independente territorio impetrare non oportet. Quod vero aula romana Reges *Apoſtolicos*, *Chriſtianiſſimos*, *Catholicos*, *Fidei defenſores*, *Fideliſſimos* nominauerit, aliis ex principiis, nimirum ſocietatis eccleſiaſticae natura repetendum eſt. Ex eodem quoque fundamento conſequitur, vt ciues alterius nationis in loco nullius vel tertii deprehenſos, aut eorum naues vel merces gens ſuae iurisdictioni ſubiicere haud poſſit.

DXXXVIII.

Quum denique inter gentes, ſi primaeuus ſpectatur earum ſtatus, omnimoda aequalitas moralis obtineat, nulla cuiusquam praerogatiua, nulla praecedentia habere locum poteſt, quin potius durante eo ſtatu pares de omnibus obligatiores, iuraque paria enunciari debent. Itaque vnicuique eadem exiſtimationis ſimplicis, iuſtae ignorantiae, ſuasque mediis non iniuſtis perfectiones augendi iura ſuffragantur.

DXXXIX.

Sane quisque populus, quaecunque demum fuerit regiminis forma, iisdem iuribus maieſtaticis tam immanentibus, quam transeuntibus gaudet; quae igitur in ſingulis ſeiunctis exiſtit, diuerſitas nulla eſt, ſi prae-

Digitized by Google

praetermiſſa omni hypotheſi inter ſe comparentur. Id ipſum valet de gentium Rectoribus, qui per ingreſſum in alienum territorium nec maieſtatem amittunt pro ſua regione, nec propterea alterius iurisdictioni ſubiiciuntur.

DXL.

Ad iſtas autem gentium perfectiones tam cultura virtutum intellectualium et moralium quam nouae hominum et virium acceſſiones pertinent. Quare neminem puto fore tam plumbeum, qui neget, poſſe vnamquamque gentem fouere artes bonas moresque, ſuam ſine aliarum laeſione augere potentiam, et ciuibus ſuis, ne iuſta eis lucra intercludantur, patrocinari. Inde et iura promanant, tam res, ſi ſint nullius, occupandi, quam ſi quorumdam ſin propriae modis legitimis, veluti pactis, commerciis externis, ac hereditatibus conquirendi.

DXLI.

Fuere quidam, qui a gentium antiquitate earum quoque proedriam, ab artium et diſciplinarum flore, ac puritate religionis maiorem exiſtimationem, a vehementiori autem potentia, aut plurium regnorum nexu etiam praerogatiuam comprobari poſſe iudicarunt. Enimvero a ſola inaequalitate temporis ad inaequalitatem iuris non valet collectio, virtutes vero intellectus aut voluntatis



Digitized by Google

tis non ſimplicis ac naturalis, ſed adquiſitae et accidentalis exiſtimationis ſunt menſura.

DXLII.

Denique vti maior potentia phyſica maiorem potentiam moralem haud inuoluit, ita ceteris qualitatibus non tam ius perfectum, quam aptitudo et meritum ad aliquam praerogatiuam aduentitiam innititur. Ecquis enim id ſuſtinere auſit? homini docto, vel giganti plura competere naturalia iura quam indocto vel pygmaeo.

DXLIII.

Nec dicas cum DARIESIO * et VATTELIO **, principem ſedem non eſſe niſi prioritatem loci, quo, qui prius eum occupauit, nequaquam ſit expellendus. At nil profecto vetat aequalem cuiusuis locum iudicare, menſae adſidere rotundae, vel eodem loco alternatim vti. Porro vti nemo iure coget inuitos populos cum aliis in idem territorium conuenire, ita nec vi externa compelli alter ab altero poteſt, vt ſuam religionem iudicet eſſe puriorem.

* *I. I. V. §. 956.*

** *L. II. c. III. §. 37.*

DXLIV.

Fac autem ciuitates in illum caſum demitti, vnde niſi res vel bona aliarum ciuitatum vſurpent, exitum videant nullum: vtique illae ex iure, vel vt alii loqui malunt,

fa-

Digitized by Google

*fauore* neceſſitatis ſalutem expedire, et rebus alienis vti, aut etiam abuti poterunt, dummodo obſeruent limites, quos ab hominibus in pari diſcrimine verſantibus tranſiliri poſſe alibi negauimus.

DXLV.

Itaque naues alienas arripere, detinere, iis vti, aut loca munita ſeu fortalitia vicinorum occupare, accedere ad portus alienos pro aqua et alimentis, ſedes quaerere, ſi propriae vi nobis ſint ademtae, emere merces neceſſarias, iure perfecto licebit, quoties non commoditas aut vtilitas, ſed vera ac ſumma neceſſitas id poſtulat. Modo omnia prius remedia adhibeantur leniora, alter populus eadem neceſſitate haud prematur, et quamprimum fieri poterit, plena ſuccedat reſtitutio. *cf* Ickstatt. *Ius gent. l. II. c. VIII.*

# CAPVT XVII.

## DE GENTIVM HVMANITATE.

DXLVI.

Quum paullo ante oſtenſum ſit a nobis, obligari omnes populos ſibi inuicem prodeſſe, tantoque magis a mutua laeſione



Digitized by Google

abſtinere, palam fit, officia gentium alia eſſe *humanitatis* ſeu imperfecta, et coactionis expertia, alia *iuſtitiae* ſeu perfecta, et quae vi quoque poſſint extorqueri. Priora hoc capite, poſteriora capite ſequenti exponemus.

DXLVII.

Certe nulla in medium proferri gens poteſt, cui non aliquando ab aliarum gentium rebus vel operis ſaltem aliqua maior perfectio adferatur; igitur hoc cuique natura praeſcripſit, vt omni conatu ad communes vtilitates conſpiret. *Namque magis eſt ſecundum naturam pro omnibus gentibus, ſi fieri poſſit, conſeruandis aut iuuandis maximos labores moleſtiasque ſuſcipere, quam viuere in ſolitudine, non modo ſine vllis moleſtiis, ſed etiam in maximis voluptatibus abundantem omnibus copiis.* CICER. *de Off. III. 5.*

DXLVIII.

Ex his aperte conſequitur, etiam gentes comes, humanas, miſericordes eſſe oportere non modo erga amicos, verum etiam inimicos; ſiquidem et horum odium a lege naturali penitus abhorret. Ideo fit, vt tam in proſperis rebus, veluti nuptiarum, natiuitatis, coronationis, pacis, quam etiam in aduerſis, vt mortis, perduellionis, incendii, terrae motus, vicini populi ac eorum Rectores, aut gaudium aut dolorem, ſibi inuicem teſtari conſueuerint.



Digitized by Google

DXLIX.

Atque haec amoris ſignificatio nec propter bellum, quo duo populi inter ſe ſunt implicati, nec ob oppoſitas de modo colendi Deum ſententias, exceptionem admittit; vti enim vetitum eſt odium inimicorum, ita et huiusmodi officia non in determinata religione, ſed in ipſa gentium natura ſatis fundantur.

DL.

Tum vero mutuus populorum amor ſeſe prodit potiſſimum, ſi alter alterius intellectum, voluntatem, ac ſtatum externum perficere adlaboret, quorſum inprimis pertinet cura, vt verae de Deo eiusque attributis ſontentiae omnibus et doctrina et exemplo inſtillentur. Praeterquam quod enim contrariae in religione opiniones manifeſtum errorem aut ignorantiam ſaltem alterutrius gentis arguant, perpetuis etiam litibus atque odiis praebent occaſionem; quum contra ex vniformi rectaque diuini cultus cognitione nouum quoddam idque fortiſſimum ſocietatis vinculum ducatur.

DLI.

Atque duplex quidem hic concurrit officium, vnum ſcilicet erga ſupremum Numen, cuius gloriam vti a ſingulis hominibus, ita et ab omnibus gentibus illuſtrari oportet; alterum vero erga alios homines, quos ab



Digitized by Google

errore adeo pernicioſo liberari maxime intereſt humani generis. Quare collegium de propaganda vera religione inſtitutum laudari ſatis nequit. Psalm. *CXVI. v. 1.*

DLII.

Aſt quanta non eſt illorum impietas, qui proprii commodi cauſſa fouere ſatagunt errores, et quamcumque Dei colendi rationem ſatis putant eſſe idoneam, ſi modo phyſica ciuitatis potentia inde accipiat incrementum! Sane, quae a nonnullis adductae ſunt rationes pro promiſcuae religionis tolerantia, id vnice probant, vim, metum, ac coactionem ad tredendam notitiam ſummi numinis ineptos eſſe magiſtros.

DLIII.

Proximum huic eſt, vt populi ſcientias atque artes ad communem felicitatem propagare, et nouas in dies veritates collata opera detegere contendant. Ideo viros doctos, veluti Geometras, Aſtronomos, Medicos, Hiſtoricos ad peregrinas regiones ſaepe ablegari nouimus, quibus porro liber acceſſus, ceteraque ad optatum finem perueniendi remedia non niſi ſumma iniquitate denegantur.

DLIV.

Neque vero deſunt exempla populorum, qui bonas leges ab aliis acceperunt. Sufficiat hic Romae materiam XII. tabularum e

Grae-

Digitized by Google

Graecia accerſentis meminiſſe. Ac profecto ſtudia litterarum et ingenuae artes homines reddunt cultiores, atque mores ſolent emollire. Ovid. *Pont. II. IX. 48.*

DLV.

Perfectio ſtatus externi in aucta gentis exiſtimatione et gloria, rerumque omnium abundantia continetur; nihil igitur praetermittere oporteret, quo aequius aliorum de aliis ſit iudicium, quoque nullae non nationes ea, quae ad ſuam neceſſitatem, vtilitatem, aut etiam iucunditatem pertinent, facilius conſequantur. Quum vero non omnia omnis ferat tellus, conſequens eſt, vt ex copia vnius regionis alterius inopiae ſiue gratis et ex beneficentia, ſiue ſaltem ex contractu permutatorio ſuccurrendum ſit.

DLVI.

Poſtulat igitur humanitatis ratio, vt aliis non ea praeſtentur modo, quae accipientibus ſunt vtilia, dantibus autem parum damnoſa, veluti conſilium in dubio negotio, medicina graſſante morbo, opera pro pace concludenda, ſed etiam quae non ſine detrimento tribui poſſunt, vti eſſet annona penuria ingruente, aut miles, quo iniuſtus hoſtis depellatur. *cf.* Livivs *XXXIII. 33.*

DLVII.

Quum in mutua rerum communicatione, quae per contractus explicatur, con-



Digitized by Google

ſiſtat *commercium*, hoc non modo inter ſingulos homines, ſed etiam inter populos maximae eſſe vtilitatis elucet; ſecus enim rerum multarum vſu, quas vita humana deſiderat, locorum interuallo arcerentur. Et quia obligatio ad finem neceſſitatem idonea impendendi remedia inuoluit, nulla gens de eo, quod ad commerciorum florem conferre poſſet, quidquam a ſe deſiderari patiatur.

DLVIII.

Quamobrem I. emporia, nundinae, et portus conſtituantur tuti, quo merces inuehi, commodeque permutari ſine magna mora poſſint. II. Priuilegia ſiue emendi res inuectas, antequam aliis eas emere liceat, ſiue ſiſtendi merces in flumine publico, vt eas vendere aut ſecus tributum praeſtare neceſſe ſit, vulgo *propolium*, et *ius ſtapulae*, non facile concedantur, leges vero in extraneos iniuriae, nimiaque vectigalia abrogentur.

DLIX.

III. Nominentur *Conſules*, ſeu perſonae, quae in emporiis, et portubus priuilegia nationis ſuae cuſtodiant, et lites inter mercatores ortas breuiter et ſine magnis ſumtibus definiant; et ſi quae ſunt alia, quae commerciorum florem promouere apta ſunt, a ſingulis populis conſtituantur.

DLX.

Digitized by Google

DLX.

Sed dicet fortaſſe aliquis ſtultum fore, atque a politices regulis alienum, iis praebere auxilia, qui haec ipſa in noſtrum interitum conuertere aliquando poſſunt. Enimuero non aliud inde conficitur, quam vt tenendus ſit beneficii et permutationis modus. Sane facilius populi, quam homines ſuis ſe viribus ſuſtinent, aliorum itaque indigentiam ita ſubleuare oportebit, vt tamen officia, quae quisque ſibimet ipſi debet, haud praetermittantur.

DLXI.

Nemo igitur tam male ſuas ſecum inibit rationes, vt arma hoſtibus ſuppeditet, aut annonam, vel vt artem aptiora conflandi tormenta, conſtruendi habiliores naues bellicas, ſale condiendi piſces, aliaque arcana opificia cuiquam ſtatim prodat. Etenim prodeſſe aliis haud obligamur, ſi grauius inde in nos redundaturum eſt incommodum. Phaedr. *Fab. V. in app.*

DLXII.

Quapropter cuiusuis populi iudicio relinquendum eſt, an et quomodo valeat aliis opem ferre; et quoniam nemo adhuc inuentus eſt, cuius vires omnium neceſſitatibus leuandis eſſent pares, licebit profecto, quod vni tribuitur, id ipſum alteri ſine vlla iniuria denegare. Qua in re gratitudinis potiſ-

ſimum

ſimum eſt habenda ratio, vt paribus in cauſſis ii, a quibus plura in nos ſunt profecta beneficia, ceteris praeferantur.

DLXIII.

Ex quo facile comprehendere licet, populi eſſe iudicium, an arbitri munus inter duos, qui bellum gerunt, ipſe ſuſcipere poſſit, an commercia nullo pacto ſpeciali definita cum vicinis proſequi, vel reſtringere, mutare, aut etiam penitus tollere velit. Quid enim ſi merces aequo pretio emi vel vendi nequeant, aut ſi res vel perſonae morbo peſtilenti forent adfectae, nonne in finibus noſtris XXX. vel XL. dierum mora detineri aut plane arceri poſſent? GROTTIO. * igitur non adſentimur, dum nimis generatim profugis receptum deberi, et quod vni conceſſum, alteri quoque concedendum putat.

* *J. B. et P. l. II. c. II. §. 16. et 22.*

DLXIV.

In eo quoque mutua ſeſe exſerit comitas, atque facilitas populorum, ſi negotia in alieno territorio geſta, quaeque propriis non aduerſantur legibus, in ſuo pariter quisque firma, validaque eſſe patiatur; qui enim id facere detractat, conqueri minime debent, ſi et aliae gentes acta, quae alibi perfecta ſunt, alicuius valoris et roboris eſſe negauerint. Quod quum commercia

atque

Digitized by Google

atque amicitias ciuitatum mirum quantum perturbare poſſet, omnium ſane intereſt, nulla huiusmodi inhumanitatis exempla vnquam praeberi.

DLXV.

Atque inde eſt, quod habilitas et qualitas, quae perſonae in vna ciuitate competit, veluti iura nobilitatis, pubertatis, maiorennitatis, aut familiae, etiam in alia ciuitate agnoſci conſueuerint. Porro teſtamenta, matrimonia, aliosque contractus, ſi ad formam loci, in quo celebrantur, ſint adcommodati, parum aequum foret, alibi effectum ſuum haud ſortiri.

DLXVI.

Denique nec diſpoſitio de bonis ſub alterius poteſtate ſitis impugnatur, niſi a legibus, quae ratione rerum immobilium ibi perlatae ſunt, abhorreat. Vti enim ciuibus nuptiae cum peregrina, ita et extraneis comparatio immobilium iuſte poſſet prohiberi. Quare non ſimpliciter cum Chr. Wolfio,* facimus putante teſtamentum iudiciale apud vnam gentem factum ab alia quoque eſſe admittendum, quod ea noſtram debeat iurisdictionem agnoſcere; valet enim gentis iurisdictio in ſuo cuiusuis territorio, non extra illud.

* *Inſt. I. N. §. 1137.*

DLXVII.

DLXVII.

Quamquam vero officia, quorum hoc capite meminimus, tantum imperfecta ſint, et a coactione libera, quippe quae in propoſitione de iuuandis aliis continentur, vt porro, qui iis non adhaereſcit, iniquitatis quidem, non autem iniuriae argui poſſit: quum tamen multae ſint cum harum legum cultu connexae vtilitates, et contra earum transgreſſoribus non leuia incommoda ab aliis populis immineant, fortiſſimae ſemper adſunt rationes, quae gentes ad comitatem et humanitatem reciproce exercendam exſtimulent. *cf.* KOEHLER. *I. N. ſpec. VII. §. 16. 48.*

DLXVIII.

Ex quibus ſatis demonſtratum exiſtimo, eſſe officia imperfecta, quae a gente qua tali aliis gentibus praeſtantur, quamuis in alia omnia eat DARIESIUS *. Aſt negari tamen nequit, officia haec aliquando perfecta fieri poſſe, ſi ſumma ingruat neceſſitas, vel pactum acceſſerit, vt alio in loco a nobis fuit oſtenſum.

* *I. I. V. §. 950.*

CA-

Digitized by Google

# CAPVT XVIII.

## DE IVSTITIA GENTIVM ABSOLVTA.

DLXIX.

Quas ad candorem et humanitatem factas eſſe intelleximus gentes, quin etiam iuſtitiae regulis a natura ſint imbutae, nullo modo poteſt dubitari; conſtat enim, praecepta de non laedendis aliis et de ſuo cuique tribuendo ad easdem aeque ac ad ſingulos homines pertinere, ex quo inſana illa quorumdam doctrina de naturali bello nationum omnium in omnes abunde exploditur.

DLXX.

Atque ius iſtud, quod perfecta populorum inter ſe officia exponit, ius gentium *cogens*, ſiue proprie tale nuncupatur, et in illa continetur propoſitione: *Quod ſibi fieri nolunt gentes, aliis ne faciant.* Quae vero gens haec officia violaret, ea in regulas iuſtitiae impingere, atque adeo alias laedere cenſenda eſſet.

DLXXI.

Itaque iniuſtae ſunt gentes. I. quae de aliarum aequalitate et independentia, vel alio quodam iure maieſtatico quidquam detra-

trahere conantur II. Quae legitimam imperii formam a populo quopiam electam mutare, aut quaqua ratione euertere ſtudent. III. Quae territorium turbant alienum. IV. Quae externorum ciuium perſonas aut etiam res violant. V. Denique, quae facultati, qua nulla non ciuitas pollet, iuſtis modis maiores adipiſcendi vires, adferunt impedimentum. Si quid porro horum fiat, gens laeſa eadem habebit iura in laedentem, quae homini iniuria adfecto contra iniuriantem competere alibi demonſtrauimus.

DLXXII.

Atque ex his liquet, gentem non modo nihil, quod in alterius gentis contemptum aut contumeliam vergeret, facere, ſed neque maiora honoris ac exiſtimationis ſigna, titulosque peculiares naturaliter ab altera praetendere poſſe, praeterquam ſi pacto vel more manentem quemdam titulum aut praelationem iam ſit adepta.

DLXXIII.

Quum vero, qui in vnum liberalis eſt, alteri propterea iniuriam non faciat, etiam populus vni populo nouum adſcribere titulum, certum adſignare locum, res inter ſuos ciues permutandi facultatem dare poteſt, quae tamen omnia reliquis gentibus ſine iniuria denegabit. *cf.* GROT. *I. III.* 21. 1.

DLXXIV.

DLXXIV.

Nec minus inde colligitur, eam gentem ab iniuſtitiae labe liberari non poſſe, quae exterorum negotiis vltro ſe immiſcens iudicium de iisdem adfectat, quae proprium Dei colendi modum aliis vi obtrudere nititur, aut peregrinam religionem cum contumelia ac vituperio gentis illi addictae detestatur, quae demum alienorum ſubditorum querelas ſuae cupiditati praetexens re opera aut conſilio eorum ſuſtentat contumaciam. Si enim arma in imperantem ſumere ſubditis nunquam licet, quomodo horum nomine aliis, quibus nulla infertur iniqua conditio, id facere licebit?

DLXXV.

Ex eodem quoque fundamento conſequitur, vt populo vni licitum haud ſit, alteri populo qualitates Regis eligendi praeſcribere, aut eum Regem damnare, qui plures haberet vxores, vel durioribus poenis quosdam ſubditos adficeret. Sane nemo ſibi iudicium in actiones aliorum poteſt adſumere, quin eorum aequalitatem atque independentiam laedat.

DLXXVI.

Quum porro tam turbatio alieni territorii, quam violatio ciuium incidat in laeſionem gentis, conſequens eſt, vt ius regionem ac res ciuium poſſidendi, iisdemque

P vten-

vtendi, ac fruendi ſaluum cuique relinqui debeat, et hinc vt nemo, refragante Rectore ciuitatis, ſibi harum rerum poſſeſſionem adrogare, aut perſonas ciuium vel militiae vel nuptiarum, vel cuiusquam alterius ſcopi cauſſa abducere iure poſſit. Quodſi huiusmodi actus ceteris populis permittantur; quisque facile intelliget, etiam conditiones, ſub quibus ea permiſſio facta eſt, rite eſſe implendas.

DLXXVII.

Et quoniam non ii modo nos laceſſunt iniuria, qui rem noſtram vel eius partem ſubtrahunt, ſed etiam, qui ne iure noſtro vtamur, nobis ponunt impedimentum, perſpicuum plane eſt, nullam gentem, ne cum extraneis commercia excolat, aut ab amicis obtineat auxilia, aut aliter modis licitis ſuam augeat potentiam, poſſe prohiberi.

DLXXVIII.

At ſi populo res ſuas cum hac potius quam cum illa gente permutare placeat; ſi propriis mercibus maius ſtatuat pretium, quam eas comparare volentibus aequum eſſe videatur; ſi denique ab actibus, quos promiſcue aliis ciuitatibus indulget, vnam ciuitatem ſine contumelia excludat; quia id iure ſuo facit, ideo aliae gentes laeſiones ſibi illatas eſſe fruſtra quererentur.

CA-

# CAPVT XIX.

## DE IVRIBVS GENTIVM CIRCA DOMINIA ET PROPREITATEM.

### DLXXIX.

Qui rerum dominia a mutuo tantum hominum conſenſu repetuut, nec tamen ad communem huiusmodi conuentionem ab vniuerſo humano genere initam prouocare audent, ii nullam inter diuerſas gentes proprietatem dari arbitrantur. Quoniam vero originem proprietatis ſine peculiari vlla conuentione ex iure occupandi profluxiſſe alibi docuimus, ambigere profecto non licet, quin etiam ciuitates et populi, quippe qui ſingularum perſonarum iure vtuntur, proprietatis modo vel originario, vel deriuatiuo adipiſcendae ſint capaces.

### DLXXX.

Perperam itaque Bynkershöek * rerum dominia iuri ciuili adſcribit, quod ciuium ſit conuentio, vt quisque ſua habeat tuita ſeparatim, etiam citra poſſeſſionem praeciſe naturalem; quem fere ſequutus eſt Gribnervs **. Quis autem gentibus abiudicabit dominium, quas territorium ſuum poſſidere, omnem inde vtilitatem percipere, ac de eo-

dem pro arbitrio diſponere poſſe conſtat? At inane foret hoc dominium, ſi illud a perpetua detentione phyſica rei cuiuslibet penderet. Etſi igitur id corpore et animo adquiratur, ſolo tamen animo retineri poterit. *cf.* Barbeyr. *ad Puf. l. IV. c. IV. §. 4. n. 2.*

* *De domin. mar. c. I.*

** *Pr. I. N. L. III. c. III. §. VI. n. 2.*

DLXXXI.

Adquiruntur autem dominia a gentibus modo originario, quando I. res nullius II. actu adprehenduntur III. animo ſibi habendi; quae adprehenſio per vniuerſitatem facta condominium producit, ſeu communionem poſitiuam tamdiu duraturam, donec vel in minores ſocietates, vel in ſingulos ciues certae portiones deſcribantur.

DLXXXII.

Inde petere licet rationem, cur res aliae dicantur communes ſeu *nullius*, aliae *publicae* ſeu populi, aliae *vniuerſitatis*, id eſt ſocietatis minoris, aliae *ſingulorum*. Sed vti publicae res poſſunt fieri ſingulorum propriae, ita et ſingulos in publicum res ſuas conferre non repugnat. *Pr. Inſt. de rer. diviſ. l. 2. pr. D. eod.*

DLXXXIII.

Quemadmodum paterfamilias fundo occupato non modo fructus omnes ſiue induſtriales, ſiue naturales inde percipere, ſed etiam in eo venari, piſcari, aucupari, theſau-

ſaurum fodere cum excluſione aliorum poteſt, ita quoque populus, qui regionem vacuam animo ibi ſedes figendi ingreditur, certisque limitibus circumſcribit, tum totius terrarum et aquarum tractus poſſeſſionem, et proprietatem generalem adquirit, tum praeterea ius occupandi omnia, quae ſupra et ſubter ſunt, anteuertere praeſumitur, vt adeo nihil in eo territorio ſit incluſum, quod non ad illud vti pars ad totum ſpectare, ſiue de territorio eſſe videatur.

DLXXXIV.

Igitur Sam. Cocceivm *, non moramur, cui dominium generale videtur, purum eſſe figmentum, ficulneo enim illo vtitur argumento, quod poſſeſſio actu corporali adprehenſa, ratione totius regionis deficiat. Etenim ad hancce poſſeſſionem adquirendam ſatis fuerit, populum terminos vel *arcifinios*, vti montes, fluuios, vel *limitatos* veluti leucas pedesve fixiſſe. Nam neque patrifamilias opus eſt, vt ſingulas glebas teneat, vel circumambulet, modo limites ponat aut ſepem.

* *Not. ad Grot. II. II. 4.*

DLXXXV.

Quapropter, quidquid in territorio reperitur, ſiue ſuapte id exiſtat *natura*, vti ſunt montes, ſyluae, paſcua, et quaeuis inculta

loca, dein flumina, riui, aluei, inſulae; ſtagna, lacus; paludes, quaeque his accedunt beſtiae volatiles, terreſtres, ac natantes, nec non metalla et alia foſſilia, ſiue hominum *induſtria* producantur, vti caſae, domus, arces, villae, oppida, urbes, vineta, agri; ceteraque manu et arte facta, et cuncta rerum iura, id omne proprium eſt totius gentis, qua inuita porro nec res iacentes ſeu adeſpotas occupare, nedum in regione morari, immo nec illam ingredi licebit.

DLXXXVI.

Equidem GROTIVS * in ea fuit opinione, poſſe aduenas ſolum vacuum; et ſterile intra territorium populi ſitum recte occupare, quod occupatum non videatur, quod non excolitur, et hinc non niſi imperium priori populo ſaluum permaneat. Enimuero quidquid eſt in territorio incluſum, etiam eſſe de territorio nec GROTIVS diffiteri poteſt, ſiquidem occupationem etiam per vniuerſitatem fieri ipſemet agnoſcit **. Laederet igitur gentem, qui haſce res vacuas ei adimere conaretur, quae vel paſcendis gregibus, vel ſaltem auertendis hoſtium incurſionibus inſeruiunt. Quod ſi animalia fera ex altera regione in alteram ſe transferant, quoniam haec incertae ſunt originis, natu-

nam

nam novi territorii, velut acceſſorium ſequentur. *cf.* Livivs *V.* 36.

* *L. II. c. II. §. 17.*

** *L. II. c. II. §.*

DLXXXVII.

Quum vero occupatio in rebus nullius tantum fieri poſſit, nemo non intelligit, eam ad loca ab alio populo, vel etiam familiis ſegregibus inhabitata nequaquam pertinere; immo ſi fingas nationem maxime ſtupidam, proprietat abutentem, religionis denique atque humanitatis expertem, ea tamen rerum a ſe adquiſitarum non excidit dominio, vt adeo nefas foret, hoc tantum nomine eam ſuis fortunis ſpoliare, *cf.* Leibnitivs *Cod dipl. p.* 165. & 203.

DLXXXVIII.

Et quoniam, quae nullius ſunt, non ante fiunt propria, quam vbi ſufficienti facto a nobis adprehenduntur, manifeſto conſequitur, vt quamuis tota ſocietas maiora terrarum ſpatia occupare, et adquirere poſſit, quam ſinguli ſocii, tamen quae a ciuili multitudine in poteſtatem phyſicam redigi ac poſſideri nequeunt, ea quoque abhorreant a gentis proprietate; cui porro nec fundos cultura et cura, omnique alio vſu vaſtiores, multoque adeo minus oceanum adprehenſionis et cuſtodiae impatientem primaeuae communioni ſubtrahere licebit.

DLXXXIX.

Contra portus, littora, nauium ſtationes, vadoſae orae, ſinus, freta minora, aliaeque maris partes, quae territoria populorum adluunt, iisque ſunt incluſae, libertatem a dominio non omnino tuentur. Praeterquam quod enim mare terrae proximum non ſit inexhauſti vſus, ſed capiendis piſcibus, margaritis, cochleis, corallis, ſuccino, ambrae faciendoque ſali maxime inſeruiat, illud etiam gentes teſte experientia certis terminis definire, tum vicinis claſſibus ac tormentorum exploſione poſſidere ac defendere conſueuerunt. Atque inde fit, vt poſſeſſoribus inuitis ab exterorum nauibus ea loca non modo non teneri, ſed neque praeteruehi permittantur.

DXC.

Solus animus adquirendi, niſi et vera ſequatur adprehenſio, nullum cuiquam tribuit peculiare ius, igitur aliquid vidiſſe tantum vel ſcire, vbi illud ſit, vel medio non idoneo adprehendere ad obtinendam poſſeſſionem corporalem haud ſufficiet. Quare ſi gens vna inſulam vacuam detegeret, aut etiam grandioris tormenti globum in illam vibraret, altera vero eamdem ingrederetur animo ſibi habendi, huius, non illius inſula fieret propria.



Digitized by Google

DXCI.

Imperium in regionem vacuam cum dominio occupari communis quidem eſt doctrina, verum non ſatis, vt videtur, adcurata, ſiquidem imperio in res non proprie vtimur, ſed in perſonas, quae etſi per loca deſerta vagari deprehendantur, priſtinam tamen tueri poſſunt libertatem, atque ab omni occupatione ſemper ſunt immunes.

DXCII.

Quod ſi nulli homines ſegreges in terris occupatis reperiantur, tunc gens non tam nouum occupare imperium, quam potius vim antiqui in eos proferre videtur, qui prouincias ita adquiſitas, ſiue perpetuae habitationis cauſſa, ſiue etiam ad tempus acceſſuri ſunt.

DXCIII.

Scilicet alienum ingrediens territorium honeſtas conditiones, ſub quibus eſt admiſſus, tenetur implere; quum igitur gens nemini aditum ad ſuas terras aliter concedere intelligatur, quam ſi primo legibus negatiuis de non nocendo ciuitati generatim, dein etiam legibus adfirmatiuis, quae diſerte in aduenas feruntur, morem gerat, conſequens eſt, vt quicunque degit in territorio, niſi manifeſte probetur exceptio, etiam ſub territorio eſſe, hoc eſt, ab imperio et iuriſdicti-

ctione domini territorialis pro tempore commorationis pendere cenſeatur.

DXCIV.

Ex quo conficitur, vt I. imperans cauſſas controuerſas in ſuo territorio agnoſcere, atque decidere iure poſſit, ac porro, vt eius ſententia in peregrinos lata iuſta praeſumi debeat; II. vt delinquens in alieno territorio poena in foro delicti ſtatua adficiatur; III. vt ius albinagii, quo exteri iure ſucceſſionis in bonis defuncti ciuis, vel peregrini excluduntur, humanitati quidem gentium repugnet, non autem iuſtitiae, ſi nouerint peregrini ſub hoc tantum onere aditum ſibi in alienam regionem patere. WOLF. *Inſt. I. N* §. *1138*.

DXCV.

Inter dominii conſectaria et illud numeratur, vt quisque rerum ſuarum moderator ſit et arbiter, quae porro in alios in totum vel pro parte iure transferuntur; nulli igitur dubitamus, quin populis de montibus, inſulis, paſcuis, aliisque publicis rebus pro lubitu diſponere, hinc easdem cum vel ſine pacto antichretico oppignorare, ſeruitute adfirmatiua vel negatiua adficere, aut etiam penitus alienare, immo et derelinquere ſit permiſſum.* GROT. *II. XV.* §. *VII. n. 8.*

* *cf.* ENGELBRECHTI *Commentat. De ſeruit. iur. pub. recuſa Lipſiae 1739.*

DXCVI.

DXCVI.

Ex his autem colligitur, patrimonia gentium modis deriuatiuis, veluti conuentionibus aut teſtamentis ſumere incrementum quidem poſſe, fruſtra vero huc reuocari vſucapionem, aut praeſcriptionem, poſtquam inuentum id eſſe iuris ciuilis alibi ſatis eſt oſtenſum. Interea tamen in pari cauſſa gentes vi dominii putatiui vel poſſeſſionis, cuius nulla in contrarium exſtat memoria, ſufficienter ſe tuentur.

DCXVII.

Quoniam vero negata vſucapione praetenſiones gentium maiorem vim obtinent, ac firmitatem, optandum ſane foret, vt voluntate populorum arbitraria quaedam vſucapio ſtatueretur, idque eo magis, quod etiam ii, qui vſucapionem iuri naturali adſcribunt, eam inter gentes longe difficilioris eſſe probationis, quam inter ſingulos homines haud diffitentur.



Digitized by Google

# CAPVT XX.

## DE OFFICIIS INTER GENTES, QVAE VTILITATIS SVNT INNOXIAE.

DXCVIII.

De officiis innoxiae vtilitatis inter gentes ardua eſt controuerſia, an ex iuſtitia, vel ſolum ex aequitate debeantur. Etſi enim plana ac facilis eſt generalis regula in prima parte iuris naturalis tradita, ad quam et actiones hominum adplicandae ſunt, ſcilicet officia adfirmatiua imperfectis, negatiua perfectis eſſe accenſenda; tamen duae plerumque naſcuntur facti quaeſtiones, primum an alterius deſiderio ſola patientia noſtra ſatisfiat, deinde vero an non hancce patientiam multa, eaque grauia incommoda conſequantur. Haec igitur prius ſunt penitus dilucidanda, quam quisquam in iure libertatis naturalis ſe interpellari conqueratur.

DXCIX.

Nullum ſane adparet periculum, ſi viae, fluuii, aut portus publici pateant extraneis, veluti ſtudioſis, artificibus, aut mercatoribus, qui tantum tranſire, aut ſibi de aqua dulci aliisque alimentis proſpicere, fractasue

na-

Digitized by Google

naues reparare cogitant; quod ipſum et in mercibus nec vetitis nec nocuis, et quarum commercium gens territorii domina ſibi non reſeruat, immo et in milite per manipulos diuiſo, atque inermi videtur obtinere.

DC.

Quum vero ſaepius contingere ſoleat, vt iuſta adſit cauſſa recuſandi officium, quod poſtulatur, veluti ſi contagii vel exploratorum metus ſit, aut congruum vectigal non ſoluatur, hinc petere prius oportet praeſtationem officii, vt adpareat iure, an iniuria denegetur. Quodſi tamen nauis reparatio vel alimenta eſſent neceſſaria, tum propter ſtatum colliſionis etiam gratis et cum detrimento hae praeſtationes poſſent vindicari.

DCI.

Atque his potiſſimum ambagibus inuoluta eſt frequens illa quaeſtio, vtrum exercitus, qui vel novas quaerit ſedes, vel contra iniuſtum hoſtem mouetur, facultatem per alienas regiones tranſeundi inuitis habitatoribus iure adripiat? qui enim armatam multitudinem in ſuum territorium admittit populus, ei maius tum ab ipſis tranſeuntibus, tum ab horum aduerſariis impendet periculum, quam quod datis pignoribus, conducto idoneo praeſidio, vel aliis etiam cautelis propulſari poſſe videatur. Itaque niſi tranſire volentes omnimodam regioni ſe-

curi-

curitatem praeſtent, a tranſitu vtpote non innoxio ſine iniuria arceantur.

DCII.

Neque hiſce aduerſatur, quod aiunt, ius vnius alterius metu haud infirmari, dein vias publicas in communione primaeua vtique permanſiſſe. Ius enim ab vtilitate ducitur innoxia, at in noſtra ſpecie ſemper fere aliquod aliorum ſubeſt detrimentum; communio autem viarum, quas populus aperire in ſuo ſolo, et propriis ſumtibus reficere debeat, vanum eſt commentum. *cf. tamen* GROT. *II. II. 13. 4.*

DCIII.

Illud autem nunc in propatulo eſt, perperam iniuſtitiae accuſari populos, qui domo eiectis domicilium, aduenis ſolum deſertum ac ſterile, peregrinis feminarum inopia laborantibus connubia cum ſuis denegarent; haec enim officia ſemper eius ſunt generis, vt rarius ſine maiori moleſtia, nunquam nuda patientia praeſtentur.

DCIV.

Sane ſi rex regi, et ciues conciui filiam negare iure poſſunt, nulla videtur eſſe ratio dubitandi, quin eodem etiam iure vti poſſint gentes, intuitu aliarum gentium, praeſertim barbararum. Accedit aequalem fere naſci numerum marium et feminarum; ſi igitur maior harum copia ex regione extraheretur, mul-

multi ex propriis ſubditis ſine vxoribus eſſe deberent. *cf.* Vattel. *II. c. IX.* §. *112.*

DCV.

Et quamquam improba neceſſitas ius quaerendae habitationis tribuere expulſis poſſit, nuptias tamen armata manu expetere eo minus vnquam licebit, quo minus eas a ſingulis hominibus, aut etiam a ſingulis virorum ſocietatibus iniri abſolute eſt neceſſe. Sed et ipſe matrimoniorum finis exigit, coniuges non violentia et odio, ſed precibus atque amore inter ſe conciliari.

DCVI.

Etſi vero gentes iniuſtae non ſint, quae peregrinos ſecluſo ſtatu neceſſitatis in ſuum territorium haud recipiunt, tamen contra aequitatis regulas peccari ab iis aliquando poſſe certum eſt. At nec inhumanitatis quidem alicuius argui poſſent, ſi anguſtum eſſe territorium, ſi a religionis diuerſitate turbae metuerentur, ſi ignaua foret multitudo vel infida, quae abuti beneficio et ipſos antiquos habitatores expellere poſſet.



Digitized by Google

# CAPVT XXI.

## DE CONVENTIS ET SPONSIONIBVS PVBLICIS.

### DCVII.

Quemadmodum gentes etiam, quae opibus, armis et potentia maxime valent, tamen aliarum gentium auxiliis aliquando indigeant, et porro eadem ſibi inuicem polliceri atque accipere permittantur, ſatis, vt arbitror, explicatum eſt ſuperioribus capitibus; proximum igitur eſt, vt de variis hiſce promiſſionum acceptarum, ſeu *conuentorum* generibus agamus, quae quoniam inter populos aut eorum Rectores qua tales ſanciuntur, *publica* nominari conſueuerunt. *cf. l.* 5. *D. de pact.*

### DCVIII.

Ab hiſce vero probe ſecernere oportet pacta, quae ciuis cum ciue, aut ciuis cum populo extero, immo et imperantes inter ſe ineunt in negotiis priuatis, veluti ſi filia a rege alteri regi deſpondeatur. Quamquam et haec, quatenus quaelibet gens ciuium ſuorum iniurias auertere, et praecauere debet, eatenus ad publica referri poſſe videantur.

DCIX.

Digitized by Google

DCIX.

Publicae illae conuentiones, ſi ad ſingularem tantum et tranſitoriam praeſtationem tendant, generale *pactionis* nomen retinent, ſi vero obligationem quamdam durabilem et ſpecialem ſocietatem inter duas vel plures gentes ſtabiliant, *foederum* adpellatione continentur.

DCX.

Quoniam pactionum innumerae propemodum ſunt ſpecies, communi illa regula omnes dimetiendae ſunt; nihil ſcilicet tam congruum eſſe humanae iuſtitiae ac fidei, quam ea, quae ſemel placuerunt, ſeruare, ne ſecus iura in populos rite translata iisdem cum iniuria et laeſione inuitis auferantur.

DCXI.

Foederum autem ſumma partitio inde ducitur, quod alia *ſimplicem* tantum et naturalem *amicitiam*, alia *arctiorem* quamdam et arbitrariam *coniunctionem* inter paciſcentes inducant. Ac priora quidem, etſi nihil praeter id conſtituant, quod iam iuris eſt naturalis, et hinc infamiam aliquam habere fuerint viſa, tamen cum hoſtibus, et iis, qui peregrinos hoſtium accenſent numero, vtiliter ſanciri conſueuerunt.

DCXII.

Poſteriora naturalibus officiis aliquid ſaltem ſuperaddunt, et vel ad commercia, nauigationem, tranſitum, vel ad iuris defenſionem aut perſecutionem, aliaque plurima belli et pacis negotia ſpectant *v.* PVFEND. *de I. N. & G. VIII. c. IX. §. 2.*

DCXIII.

Vti vero ad foedera prioris generis, quae etiam *pudenda* a nonnullis nominantur, referri debet pactum de non laedenda gente, ſeu *foedus amicitiae*, ita *non pudenda* plane ſunt innumera, veluti I. de vectigali pro mercibus non ſoluendo, vel non vltra certam quantitatem, II. de alterius ſubditis ſuis ſedibus non recipiendis, III. de delinquentibus mutuo extradendis, IV. de arce in confinio alterius populi non habenda, aut aliis monumentis.

DCXIV.

V. Tum vt aliquod mercium genus genti tantum ſtipulanti vendatur. VI. Vt mutua ſit inter duas gentes ſucceſſio, ſeu foedus confraternitatis. VII. Vt alteri populo in propugnaculis alterius populi praeſidium habere liceat pro tuendis finibus. VIII. Vt certus equitum, peditum, vel nauium numerus ducatur contra communem hoſtem. IX. Vt res vel perſonae captae ſoluto cer-



Digitized by Google

to pretio reſtituantur. X. Ne iter alterius hoſti praebeatur, et quae ſunt reliqua.

DCXV.

Quae arctioris coniunctionis cauſſa iciuntur foedera, ea iterum *aequalia* ſunt, vel *inaequalia.* Aequalibus a paribus et aequis vtrinque conditionibus, inaequalitas vero aut ſolum a diſcrimine praeſtandorum, aut etiam ab honoris, particulae libertatis, imperiiue ciuilis imminutione proficiſcitur, de quorum altero ſalua ſaepe priſtina foederatorum dignitate, de altero eadem incolumi conueniri nullo modo poteſt.

DCXVI.

Quoniam vero inaequalitas praeſtationum ab inaequalitate contrahentium, et horum inaequalitas phyſica a morali admodum eſt diuerſa, patet, aequalia foedera etiam a potentiore cum minus potente pangi poſſe, ſi ambo ſcilicet ad aequipollens obſtringantur. Contra inaequale foret foedus, ſi inaequalis eſſet praeſtatio, vel ex parte potentioris, vt ſi ſolus nummos, ſubſidia, milites, naues, aut ſaltem in maiori numero praebere teneretur, vel ex parte minus potentis, ſi hic tributum pendere cogatur. PROCOP. B. P. p. 105.

DCXVII.

Ex parte autem minus digna oritur inaequalitas I. ratione honoris, ſi foedere ſit

comprehenſum], vt alter populus alterius populi maieſtatem comiter conſeruet. II. Ratione libertatis, ſi vnus moenia diruere, nauigatione abſtinere, loco quodam decedere, certam gentem bello non adgredi, aliamue ſeruitutem iuris gentium conſtituere debet.

DCXVIII.

III. Ratione imperii, ſi pars quaedam potentialis maieſtatis vel eius exercitium a voluntate vel conſenſu alterius gentis dependens efficiatur: veluti ne bellum cuiquam facere, vel copias conſcribere liceat iniuſſu alterius gentis. *l. 7. §. 1. 8. de capt. & poſtl. reuerſ.* LIV. XXX. 37. DIONYS. HAL. *VIII. 15.*

DCXIX.

Porro foederum quaedam *in rem* fieri dicuntur, quaedam *in perſonam*; horum duratio vita paciſcentium circumſcripta eſt, illa etiam ad ſucceſſores pertinent. Quum tamen foedera omnia tendere debeant ad vtilitatem publicam, eorumque ius fluat ex imperio ciuili, quod non niſi ſublata penitus gente exſpirat, naturale eſt, vt foedera etiam a monarchis nomine totius populi percuſſa, et realia eſſe intelligantur, donec vel ex verbis, aut ex cauſſa contrahentium, vel ex natura negotii contrarium adpareat. GROT. *II. XVI. §. 16.*

DCXX.

DCXX.

Ex *verbis* colligitur perſonale foedus, ſi ad dies vitae principis ineatur, ex *cauſſa* contrahentium, ſi militare imperium ſenior vel peritior foederatus obtineat, denique ex *natura* negotii, ſi, vt hoc vtar, tutelae geſtio promittatur. Aſt nomina tantum paciſcentium fuiſſe adiecta minime ſufficit, quum plerumque perſona pacto inſeratur, non vt perſonale pactum fiat, ſed vt demonſtretur, cum quo pactum initum ſit. Nec perſonale ideo efficitur foedus, ſi ad tempus, veluti ad quinquaginta annos, vel ad certum reſpublicae ſtatum fuerit reſtrictum; ſiquidem in vtraque ſpecie obligatio ad ſucceſſores tranſire poteſt. *v. l. 7. §. 9. D. paçt.*

DCXXI.

Ad quamcumque autem claſſem foedera reuocentur, illud apertum eſt, omnia eſſe publicarum conuentionum ſpecies, et porro fidem in iis legitime datam, ſi *caſus* exiſtat *foederis*, omnino ſeruari oportere. Immo vero quia foederati non ſolum praeſtationes tranſitorias ſibi ſtipulantur, ſed durabilem quamdam ſocietatem, quam incorruptam eſſe atque inuiolatam eo magis intereſt humani generis, quo magis publicae vel communi gentium ſaluti ejusdem abruptio aduerſatur; ideo foedera eminentiore quodam modo ſeu κατ' ἐξοχὴν *ſancta* nominari metuerunt.



Digitized by Google

DCXXII.

Etſi vero ad mutua gentium officia et illud pertineat, vt aequitatis habeatur ratio in foederibus pangendis, ea tamen, quae ſine errore ac dolo et a conſentientibus facta ſunt, aequa cenſentur, licet fuerint inaequalia; plures enim ſubeſſe poſſunt iuſtae cauſſae, ob quas ab aequalitate recedatur. Quare nulla tunc competit reſtitutio praetextu laeſionis.

DCXXIII.

Si foedera in dubitationem adduci contigerit, omnium primo verba eorum rite perſpicere oportet; vti vero in ceteris pactis, ita et in foederibus ea tenenda eſt verborum ſignificatio, quam recta interpretatio ſuggerit, et ideo foedus, ne populo bellum inſcio altero facere liceat, neceſſariam defenſionem haud excludit. Quodſi bellum contra alterius ſocios ſuſceptum non iri promittatur, praeſentes intelliguntur ſocii, non futuri. GROT. *II. XVI. 13.*

DCXXIV.

Et quemadmodum alia pacta, ita foedera quoque non expreſſe modo, ſed et tacite fieri poſſunt; nam et in his quaedam natura inſunt, quae impleri iuſtum eſt, licet haud fuerint expreſſa. Hinc praeſtare promiſſa auxilia nequit, qui domi ſuae hoſtem habet. Ex eadem cauſſa, qui receptus

eſt

eſt a gente, tacite promittit, ſe aduerſus eius ſocietatem nihil eſſe facturum, et petens colloquium hoc ipſo etiam pollicetur, id collocutoribus innoxium fore.

DCXXV.

Quum officia de non laedendis aliis ſed iis adiuuandis ipſa nitantur naturae lege omnibus populis communi, ſine vllo religionis diſcrimine, conſequens eſt, primum, vt et cum gentibus a veri Dei cultu alienis foedera non modo nudae amicitiae et commerciorum, ſed etiam bellica propter ſalutem publicam naturaliter pangere liceat, dein vt ſi haec fuerit rite facta, non minus ſint implenda, quam contractus, qui a priuatis Chriſtianis hominibus cum Saraceno vel Iudaeo inirentur.

DCXXVI.

Qua in re quoniam nihil immutatum reperitur in lege diuina poſitiua, quae eiusmodi foederibus plerumque ineſſe ſolent vitia, aliis externis cauſſis repetenda ſunt. *v.* Gen. *XIV. 13. & XXXI. 44. I.* Macc. *c. 8. & 12.* II. Reg. *XXVII. 2.* III. Reg. *12. cf.* Grot. *II. XV.* §. *8. 11.*

DCXXVII.

Concurrunt aliquando plura foedera, potiſſimum bellica, atque inter ſe confligunt, quocirca quodnam praeferri debeat, dubitatur. Sciendum igitur eſt, priorem tempore



Digitized by Google

re foederatum, niſi eius cauſſa aperte iniuſta ſit, iure eſſe potiorem, ſiquidem ius ei ex foedere quaeſitum per pactum cum ſecundo initum auferri nequit. Qui tamen foedus init ſecundum, et prius ei contrarium diſſimulat, dolo malo agit, omnemque adeo indemnitatem laeſo praeſtare tenebitur. v. Lib. VII. 31.

DCXXVIII.

Si autem nulli faueat temporis praerogatiua, tum vel arma moventur in extraneum, et auxilia vtrique foederato, eadem ſimul imploranti pro rata ſunt praeſtanda; vel vero ipſi foederati inuicem ſe bello laceſſunt, et in cauſſis dubiis, quales plerumque praeſumuntur, neutri fas erit milite ſuccurrere, ne ſecus copiae eiusdem gentis contra primum pactum vnionis inter ſe committantur.

DCXXIX.

Ne autem populi facile a ſuis conuentis diſcedant, cauetur tam modis communibus, quam publicarum pactionum propriis. Quoniam modi communes, ſcilicet *adſeueratio*, *iusiurandum*, *pignus*, et *fideiuſſio*, alibi ſunt expoſiti, eos quisque nullo negotio huc poteſt adplicare.

DCXXX.

Inter modos proprios vero primum referuntur *obſides*, ſeu perſonae conſenſu vnius imperantis in alterum translatae, vt apud

eum

etiam obſideant, rerum praeſtandarum quaſi pignus; quod quum vitam innocentis adſiſcere nequeat, euidens eſt, illud non niſi in libertate obſidis, ſi eum dans fidem feſellerit, obtinere. *cf.* Liv. *XXVIII.* 34. Grot. *III. XI.* 18. Schilter. *Comment. de iure obſid.*

DCXXXI.

Ex data definitione colligitur, veri nominis obſides non dari niſi a republica, tam *voluntarios*, quam *inuitos* etiam feminas *; quae vero vi et armis in ſecuritatem contributionum abducuntur, perſonas mancipii magis quam obſidis iure cenſeri. Ceterum quoniam peregrini non niſi pro eo tempore, quo commorantur in territorio alieno, ſe ſubiiciunt eiusdem imperanti, nec ad aliud ſe obligant, quam ad non turbandam ſecuritatem illius territorii, hi etiam obſides dari inuiti non poterunt.

* Livivs. *II.* 13.

DCXXXII.

Itaque etſi obſes tamquam acceſſio obligationis honeſta accipientis cuſtodia iure contineatur, e qua porro nec ipſi euadere, nec fugientem recipere reipublicae liceat, attamen is ſtatim ſeruus non fit, atque adeo, et res ſuas, et actiones ceteras liberas pro arbitrio moderatur. Cogere enim illum velle ad praeſtandas operas idem foret, ac creditorem re oppignorata vti. Quamprimum



Digitized by Google

vero gentis, a qua traditus eſt obſes, adparuerit perfidia, hic etiam talis eſſe deſinit, et in captiuitatem ac ſeruitutem redigitur ſine iniuria.

DCXXXIII.

Putauerat quidem GROTIVS *, tunc tantum non licere obſidi fugere, ſi ab initio aut poſtea, quo laxius haberetur, fidem dederit. Sed pauci eius opinioni ſubſcripſere; ſiquidem imperans voluit, potuitque ciuem ſuum generatim obligare, ne aufugeret. Illud vero Imperatore COMMODO dignum fuit reſcriptum: *Ob ſidum bona ſicuti captiuorum omnimodo in fiſcum eſſe cogenda*; haec enim, praeter libertatem tunc tantum debentur pro eo, quod intereſt, quando obſes fideiuſſor ſimul vel expromiſſor fuit. *L. 31. D. de iur. fiſc.*

* *III. XX. 54.*

DCXXXIV.

Ex quo non difficile eſt intelligere, quatenus, obſide mortuo ad haeredes eius obligatio tranſeat. An vero obſes, ſi fiat ſucceſſor eius, qui dedit, praeſtita alia cautione dimittendus ſit, id ex circumſtantiis ſingularibus determinari debet. *L. 15. D. de capt. et poſtl. reuerſ. cf.* PVFEND. *VIII. c. VIII. §. 6. et* VATTEL. *II. c. XVI. §. 257.*

DCXXXV.

DCXXXV.

Porro ex dictis efficitur, vt, ſi cauſſa, ob quam datus fuerat obſes ſit ſecuta, vel etiam is, cuius ad tempus redimendi gratia venerat, moriatur, ipſe ſoluto aere alieno a ſe contracto diſcedere omnino permittendus ſit. Sane iniuſtum foret, obſidem etiam ſine conſenſu ſuo, et ita alterum ex ſolo facto alterius obligari, aut eum in vnam cauſſam datum in aliam retineri poſſe.

DCXXXVI.

Nec quidquam in contrarium probat paritas pignoris, quoniam denegata illius reſtitutio ſoli noceret debitori, aſt incommoda eſſet noua haec detentio obſidi, qui eatenus fideiuſſori potius comparandus eſt. Quid quod id nimiis cauillationibus aperiret viam? Quodſi tamen contraria opinio nonnullis praeplaceret, certe ciui ita detento redemtio, et plena indemnitas a ſuo imperante indiſtinctim deberetur. *cf.* Vattel. *II. c. XVI.* §. 249.

DCXXXVII.

Firmantur quoque pactiones publicae promiſſione adiectitia, *guarantiam* vocant, vni vel vtrique contrahentium ab extraneo populo potiſſimum facta fidem datam ſeruatum iri; qui enim hoc modo ſe in conuentionem interponit, vulgo *guarandus*, is tacitum ſimul init foedus de ope illi ferenda, qui con-

contra pacta laederetur, aduerſus iniuriae auctorem.

DCXXXVIII.

Illud autem ex huius foederis natura intelligitur, non deberi auxilium, niſi imploretur ab indigente, nec in alia cauſſa, quam de qua conuentum eſt, nec contra alias perſonas, quibus foederati nequeunt intercedere, ne iure ſuo vtantur. Atque hoc eſt, quod aiunt guarantiam non intelligi praeſtitam, niſi ſaluo iure tertii, resque inter alios actas aliis non praeiudicare.

DCXXXIX.

Differt tamen guarantia a foedere defenſiuo, illa enim proprie alteri principali conuentioni adiicitur, hoc etiam per ſe iniri et intelligi poteſt; differt etiam a fideiuſſione, qua gens in ſubſidium ſe ſoluturam, quod altera debet, pollicetur. Commune vero id eſt omnibus hiſce conuentis, quod et eo inconſulto, de cuius fide metuitur, celebrari poſſint. *cf. I. L.* Waldner *de Freudenſtein diſſ. de firmam. conuent. publ. Gieſſae.* 1753.

DCXL.

Obligationes et iura foederatorum ceſſare generatim remiſſione, mutuo diſſenſu, lapſu temporis, re iam peracta, atque ob alterius perfidiam, ex regulis alibi traditis abunde liquet. Speciatim porro deſinunt foedera perſonalia interitu perſonae, realia po-

pu-

Digitized by Google

pulo penitus exſtincto. Perperam vero a mutatione rectoris ciuitatis, formae regiminis, vel diuerſo imperii modo introducto ad diſſolutionem foederis duceretur concluſio, niſi voluntas paciſcentium ad certum reipublicae ſtatum adligata fuiſſe doceatur. *v.* Liv. *V. c. I.*

DCXLI.

Remittere obligationem creditor poteſt debitori, non autem tertius, niſi iure imperii, a quo quum gentes ſint liberae, foederatus quidem ipſe recte iuri ſuo renunciat, non pro eodem alius. Et quum in ipſo foedere ſatis ſit efficaciae, durat illud etiam ſine iureiurando, quod in foro naturali ii tantum relaxant, quorum eſt vinculum iuſtitiae remittere.

DCXLII.

Regi a tota natione expulſo deberi auxilia, quae ipſe ſibi vel eius anteceſſores in hunc euentum fuerant ſtipulati, non autem ea, quae tantum contra externos hoſtes foederati promiſerant, extra dubitationem eſt; aſt ſi neutrum horum fuerit dictum, an rex exul ſuppetias a foederatis gentibus iure perfecto implorare valeat, diſputatur. Adfirmant nonnulli, quia ius regni manet penes eiectum, vtcunque poſſeſſionem amiſerit. *Vid.* Grot. *II, XVI, 17.*

DCXLIII.

Digitized by Google

DCXLIII.

Sed verior videtur negantium ſententia; qui enim genti opem ferre pollicitus eſt, is quidem in id conſenſit, vt vires ſuas cum viribus illius coniungeret, non vero vt contra easdam omnes aut maiorem partem dimicaret. Quare ratio prius obiecta id tantum euincit, foedus non prodeſſe rebelli populo, aut vſurpatori. *cf.* LIV. *XXXIV. 32.*

DCXLIV.

Quum vero expulſio rectoris ciuitatis ſemper illicita eſſe praeſumatur, vtique a gente, quae eidem ſuccurrit, rebellibus inferri iniuriam perperam arbitratur VATTELIVS *. Vrget quidem COCCEIVS, ** foedus initum eſſe cum capite et membris, igitur regem adiuuari non poſſe magis, quam ſubditos, quod neque id facere liceat, ſi duo eodem tempore foederati inter ſe decertant. Enimuero praeterquam quod Maieſtas, cui ius foederum competit, non in ſubditis eſt, ſed in Monarcha, etiam exemplum de foederatis fallit, ſi vnius cauſſa praeſumatur iniuſta.

* *II. c. XII. §. 196.*
** *Ad Grot. l. c.*

DCXLV.

Diſtant a foederibus *ſponſiones* publicae; quae ſunt conuenta a miniſtris ciuitatis de rebus ad eamdem pertinentibus ſine vllo manda-

da-

Digitized by Google

dato imperantis et vltra fines praepoſitionis celebrata. Quoniam Magiſtratus non maiori gaudent poteſtate, quam ipſis fuit conceſſa, nec quisquam alterum inuitum pactis obligare poteſt, in aprico eſt, imperantem ex huiusmodi ſponſione, niſi expreſſa, vel tacita eius acceſſerit ratihabitio, ad nihil prorſus teneri, nec ad id, quod intereſt, nec ad rem reponendam in eum ſtatum, in quo erat ante ſponſionem. Attamen lucrum, quod ſpe ratihabitionis ex re alterius perceptum eſt, reſtitui iuſtitia naturalis exigit. *cf.* Grot. *II. XV.* §. *16. n. 1. 2.*

DCXLVI.

Rem ſaltem in priſtinum ſtatum eſſe reſtituendam plures arbitrantur; aſt hi iuſtitiam confundunt cum aequitate, cuius ſane immemores eſſe videntur gentes, quae ſponſionem non iniquam improbant. Si tamen hoc acciderit, imputare ſibi debent, qui occaſionem rei bene gerendae imprudentes incautique praetermittunt. *cf.* Liv. *IX.* 9. Sallvst. *Iug. c.* 42. *ſeqq.* Pvfend. *VIII. IX.* §. *12.*

DCXLVII.

Cui poteſtas aliqua data eſt, ei quoque conceſſa videntur illa, ſine quibus poteſtas explicari non poteſt: quare quae geruntur, intra fines mandati ſaltem taciti, ſponſiones non ſunt, ſed conuentiones publicae. Contra ſi imperans conuentionem faceret legibus

fun-

fundamentalibus aduerſam, quoniam ea ſine ratihabitione populi eſſet inualida, ac nullius roboris, naturam ſponſionis indueret. *cf.* WALTHER *diſſ. de contract. ſummorum Imperant. Gieſſae 1728.*

DCXLVIII.

Quanta vero ſit ſponſorum obligatio, generatim definiri nequit, ſed ex diuerſo conuentionis modo declarari debet. Qui enim tantummodo factum incertum, et ab aliena voluntate pendens promiſerunt ſtipulantibus eius rei conſciis, omni adhibita induſtria, ne improbetur ſponſio, fidem ſuam videntur liberaſſe. At ſi rem ratam habitum iri diſerte pollicentur, ac forte praeſeferunt facultatem contrahendi publico nomine, iis, niſi certa pactitia poena defungi poſſint, omne damnum culpa, doloue datum, vel proprio aere, vel ſi hoc non ſufficiat, etiam libertate luere cogendi ſunt. *

* LIV. *IX. 5. et 10. XXI. 18. et ſupplem. lib. LV. 16.* VALER. MAX. *IV. c. 8. n. 1. cf.* VATTEL. *II. XIV.* §. 2. 11.

C A-

# CAPVT XXII.

## DE LEGATIONIBVS

DCXLIX.

Quoties populi liberi vel eorum rectores communicare inter ſe debent, debere autem ſaepiſſime de foederibus, commercio, aliisque humanitatis et iuſtitiae officiis ſupra vidimus, Miniſtro *internuncio* plerumque agere coguntur. Sane litteris conficere negotia res eſt plena ambagibus; colloquia vero cum ſingulis inſtituere, ſi inter ipſos principes non minoribus laborat incommodis, certe inter ciues vniuerſos plane repugnat.

DCL.

Perſonae, quibus tamquam ſubditis gentes ſua negoria cum aliis gentibus coram et ſolenniter gerenda committunt, *Legati* vel *Oratores* vocantur. Iura igitur et obligationes illorum, qui legatione ſeu munere legati funguntur, ex duplici officio dignoſcenda ſunt, nimirum procuratoris et miniſtri publici.

DCLI.

Ex quo recte arguitur, I. legatorum nomine haud cenſeri, qui ſubditi nullo modo ſunt eius gentis, cuius agunt internun-



Digitized by Google

cios, nec qui ſubditi quidem ſunt, et negotia gentis externa tractant, ſed in territorio, nec qui extra territorium res agunt ſuae gentis, ſed ſine ſoleuni mandato; II. miſſionem in legatis non ſemper requiri, ſiquidem nonnunquam ii eliguntur, qui degunt in territorio gentis, cum qua tractare iubentur; III. feminas legationis haud eſſe incapaces.

DCLII.

Tam procurator quam miniſter publicus negotia ſibi commiſſa non proprio, ſed populi committentis iure et nomine adminiſtrant, illius ſuſtinent perſonam, hanc porro in rebus ſuae curae demandatis repraeſentant, atque iſta repraeſentationis qualitas eſt, quae legati *characterem*, quem vocant *repraeſentatitium*, conſtituit. *Vid.* CIC. *Philip. XIII. c. 8.*

DCLIII.

Eſt autem haec vis repraeſentandi alia *generalis*, et communis omnibus legatis, quae nimirum a ratione ſolius negotii, alia *ſpecialis* et arbitraria, quae ſimul a ratione dignitatis mittentis, miſſi et mittendi modo deriuatur. Variat igitur haec aeſtimatio pro diuerſitate negotiorum, formulae miſſionis et populorum moribus; hincque variis externis honorum ſignificationibus inſignis eſt.

DCLIV.

Digitized by Google

DCLIV.

Ex ea, quam dedimus, legati definitione non obſcurum eſſe arbitramur, iure legationum illos tantum inter ſe gaudere, qui ſummae poteſtatis ſunt compotes, ſiue regna ſint, ſiue respublicae, ſiue proceres imperii electiui durante interregno, immo et qui diſpari iunguntur foedere vel vinculo feudali. Quando vero in bellis ciuilibus duo inter ſe decertant regni aemuli, tum ius legationis vel a poſſeſſore, quem in re dubia ſequi debent gentes, vel diuiſo in duas partes populo, quoniam duae pro tempore fiunt respublicae, ab vtraque factione ſeparatim exercetur.

DCLV.

Vnde iam facili negotio cognoſci poterit, qua ratione differant a legatis veri nominis *agentes*, *deputati*, et *commiſſarii*; illi enim negotia imperii vel ciuium priuata, intra vel extra ciuitatem procurant, iſti vero a ſubditis ad imperantem, et hi ab imperante ad ſubditos mittuntur. v. Livivs *VI. 7.*

DCLVI.

Ne autem cuique perſonam legati per fraudem induere liceat, oportet oratores certa quadam muniri *teſſera*, quae teſtimonium ſit publicae fidei, vnde imperans, ad quem venit legatio, cognoſcere poſſit, quis, a quo, in quam rem, quonam denique charactere



Digitized by Google

et poteſtate legatus mittatur; quae teſſerae, quoniam inſtrumentorum tabulis ſeu codicillis publicis continentur, etiam *litterae credentiales* audiunt. Ab his vero ſecernenda ſunt illa ſcripta *mandata*, ſiue manifeſta ſint, ſiue arcana, quorum ſcopus eſt, legatos idoneis conſiliis et legibus ad negotia gerenda inſtruere.

DCLVII.

Quum tamen nemo magis alterius facto vel contractu obligetur, niſi quatenus ſe obligare velle ipſe declarauerit: ideo ſi fines mandati in litteris credentialibus expreſſos legatus egrediatur, ciuitatem mittentem non obligat. Aliud foret, ſi conuentio ſecretae tantum inſtructioni repugnaret.

DCLVIII.

His praeſtructis pronum eſt intelligere varias legatorum differentias. Qui enim perſonam et dignitatem repraeſentant mittentis cum charactere ſpeciali, ii legati *primi ordinis*, reliqui *ſecundi ordinis*, dicuntur. Porro ambo vel *ordinarii* ſunt, *adſidui*, ſeu perpetui, ſi animo reſidendi apud gentem veniant, et rebus variis obuenientibus adhibeantur, vel *extraordinarii*, temporales, ſi vnius potiſſimum negotii geſtio, veluti celebratio nuptiarum, gratulatio, illis ſit commiſſa. Denique vel cum plena mittuntur poteſtate *plenipotentiarii*, vel ſine illa *formularii* dicti; his

tra-

Digitized by Google

tractare tantum, illis etiam concludere ſub conditione, ſi ratum habeatur, licet. *Vid.* Canzivs *diſcip. mor.* §. 3415.

DCLIX.

Quoniam vero legatorum eſt, vel cum imperante, ad quem mittuntur, vel cum primariis eius miniſtris tractare negotia, facile patet, cur huic muneri praeſertim cum charactere ſpeciali illi potiſſimum ſint admouendi, qui dignitate eminent inter ſuos, ne ſecus naturali vtriusque gentis aequalitati detrahi aliquid videatur. Wolf. *I. G.* §. 1050.

DCLX.

Is eſt, vel eſſe debet omnibus, qui legatos mittunt, propoſitus finis, vel laeſionem illatam aut inferendam auertere, vel alterum populum ſanctiore quodam amicitiae et ſocietatis gradu ſibi deuincire; igitur legationis inauditae reiectio nunc iuſtitiae ſtricte tali, nunc tantum aequitati repugnat.

DCLXI.

Aſt neutrius officii immemor eſſet gens, quae legatos cum charactere ſpeciali et rei gerendae non neceſſario, vel ab hoſtibus miſſos dicis cauſſa, vel ſibi minus gratos, eoque indignos munere, vel in rempublicam periculoſos, vel denique honeſtis conditionibus ſubſcribere nolentes aditu prohiberent. Quid! quod etiam lubenter olim receptos, cum ex iisdem cauſſis territorio amouere,

 tum

tum re iam peracta comiter dimittere licet? qui enim hodie inualuerunt legati adſidui, quoniam continua non ſunt negotia, moribus et decoro gentium arbitrario vnice debentur. *cf.* GROT. *II. XVIII.* §. *3.*

DCLXII.

Atque hoc pacto aduerſas ſibi multorum ſententias conciliari poſſe arbitramur. Neque enim admiſſio legati ſemper eſt voluntatis, vt docet GVNDLINGIVS *, nec ſemper neceſſitatis, quod DARIESIO ** viſum eſt. Scilicet a cuiusuis pendet arbitrio, alterum domo ſua recipere, cum eo colloqui, deliberare, paciſci; at ſine iniuria impediri nequeunt, ne cauſſam ſuam exponant, qui agunt de auertenda laeſione, veluti ſi bona naufragio amiſſa quaerunt, ſubditos fugitiuos perſequuntur, de re dubia tranſigere cupiunt, vel rem repetunt ex foedere.

* *I. N. c. XXXVI. ſ. 169.*
** *Iurisp. Vn. ſ. 973.*

DCLXIII.

Non ergo dicas cum GVNDLINGIO *, uti nemo cogitur, vt legatum mittat, ita nec quempiam obſtringi, vt accipiat; debitum enim exigere eſt merae facultatis, non vero debitum ſoluere. Quare in dubio legati ſaltem in finibus territorii non iure gentium voluntario, vt putat GROTIVS **, ſed iure

gen-

gentium naturali erunt audiendi. Livius *XXI. 10. XXX. 26.*

* *Loc. c.*

** *II. XVIII. §. 1.*

DCLXIV.

Commeatus eſt *facultas alicui facta, vt ad locum certum ire, et inde redire tuto poſſit* *. Nemo itaque dubitauerit, quin quod iuris vinculum gentes tenet in admiſſione legatorum, illud etiam in concedendo commeatu easdem obſtringat. An autem et quatenus legatis per alterius populi territorium iter facere volentibus liber ac ſecurus tranſitus naturaliter debeatur, vel an ſemper a gentis arbitrio et pacto id iuris repetendum ſit, hoc traditae ſupra de officiis innoxiae vtilitatis regulae docebunt.

* *Vid.* Festvs *voc. remeare.*

DCLXV.

Quemadmodum dato commeatu populus pleniorem facultatem ſuum ingrediendi territorium indulget legato, ita acceptis literis credentialibus ius quoddam firmius perſonam agendi publicam, ſuamque ciuitatem repraeſentandi eidem impertitur; tunc porro legatus non modo deſideria ſuae gentis exponere, eius nomine promittere, acceptare, atque adeo ad mandati formulam publica pangere conuenta, ſed etiam ea omnia facere poſſe credendus eſt, ſine quibus delato ſi-

bi muneri commode praeeſſe non liceret Caueant itaque ſummae poteſtates, ne hancce legatorum dignitatem et iura vel infringant ipſae, vel a ſuis ſubditis infringi patiantur.

DCLXVI.

Aſt ſi orator ſine literis commeatus alterius ingreditur territorium, iure vtitur ſolummodo priuati peregrini; non ergo protinus ſufficerent litterae credentiales, quibus alterius gentis ſubditi fidem habere non tenentur. Quare ſi more priuati quis ab hoſte veniat, vel ad hoſtem mittatur, illum comprehendi poſſe minime eſt dubitandum.

DCLXVII.

Quo eminentiora vero legatis competunt iura, eo grauior quoque illorum eſt violatio. Praeterquam quod enim cuilibet homini ius ſecuritatis lege naturali vbique terrarum debeatur, ſunt legati non modo ſubditi, ſed etiam mandatarii alterius gentis, tum ſummae poteſtatis, cuius publica negotia adminiſtrant, effigies.

DCLXVIII.

Quamobrem quae ipſis inferuntur laeſiones, non poſſunt non in ipſam imperantis ciuilis maieſtatem redundare. Sed etiam huiusmodi facinora arctiſſimum laxant humanae ſocietatis vinculum, quod nusquam fieri omnium intereſt populorum; et hinc mirum non eſt, *ſanctos* ſemper ac inuiolabiles

Digitized by Google

les habitos eſſe legatos, quos ab iniuria ius gentium tutos praeſtat, vindicatque.

DCLXIX.

Ex quo illud iam manifeſto colligitur, ſanctitatem legatorum non modo gentium moribus, ſiue hominum praeſidio munitam, ſed etiam lege naturali, ſeu diuino iure vallatam eſſe, quod praeſidium nec ipſis etiam hoſtium legatis denegatur, ſi ſemel ſunt admiſſi. Cic. *de aruſp. reſp. c. XVI. cf. l. fin. D. de legation.*

DCLXX.

Violatur autem ſanctitas haec legatis competens non ſolum dictis factisue laeſionem inferentibus, verum etiam ſolo neglectu, ſi nimirum cum honore aliis miniſtris exhiberi ſolito non recipiantur. Rector enim ciuitatis alterum, cuius imaginem repraeſentat orator, vt ſibi aequalem ſpectare tenetur *cf. II. Reg. X.*

DCLXXI.

Equidem maiorem eſſe obligationem admittentis legatum, ne eum violet, quam illorum, per quorum terras tantum tranſit, non eſt dubitandum; attamen et gentibus, quae litteras dederunt commeatus, immo et aliis, quae legatum norunt imperantis non hoſtis, grauius imputatur laeſio, quam ſi legatum eſſe ignorarent. Atque hoc ſenſu character legati vbique videtur obtinere. *cf.* Grot. *II. XVIII. §. V.*



Digitized by Google

DCLXXII.

Etſi hancce legatorum ſanctitatem nemo iam negare auſit, acriter tamen de eorum independentia in vtramque partem et rationibus et exemplis diſputatur. Sed verior nobis videtur eorum ſententia, qui legatum ab imperio et iurisdictione eius, apud quem degit, pronunciant penitus immunem.

DCLXXIII.

Primum enim oratores, proprii imperantis ſunt miniſtri, ab huius nutu pendent, eique omnium actionum ſuarum rationem reddere tenentur; dein gentem nullius arbitrio ſubiectam et cuique alteri aequalem durante legatione repraeſentant; denique non vt peregrini priuati, ſed vt perſonae publicae, quae cum extraneis in ſtatu naturali viuunt, alienum ingrediuntur territorium. Nefas igitur foret, rerum priuatarum obtentu eos in negotiis publicis gerendis perturbare.

DCLXXIV.

Sunt, qui legatorum fori priuilegium reſtringunt ad vſum et ſcopum legationum, ceteros vero priuatos actus iurisdictioni loci ſubiiciunt, tam ciuili, quam criminali, quia, vt aiunt, negotia legato demandata nihilominus perfici poſſint. * Enimuero neceſſariam non eſſe omnimodam immunitatem ad legationis eſſentiam facile largimur, at ſi nul-

la

la facta ſit exceptio, eam per ſe ineſſe omnino ſtatuendum eſt.

* Cocceivs *ad Grot. II. XVIII. 4.* Wolfivs *I. G. §. 1059.*

DCLXXV.

Vti enim peregrinus priuatus non niſi ſub lege ſubiectionis admitti praeſumitur, ita pro legato, qui etiam in loca tranſitus imaginem imperantis aequalis refert, contraria pugnat praeſumtio, vt quamuis ſit in territorio, tamen ſub territorio non eſſe cenſeatur, quae legati conditio *extraterritorialitas* vulgo audit, *ne ab officio ſuſcepto legationis auocetur, et ne impediatur legatio.* * Quod ipſum etiam gentium moribus comprobatum eſt, quamuis multi veteres interpretes, legibus romanis, quae de legatis vrbium municipalium loquuntur, ſint decepti. ** *cf.* Bynkersh. *de foro legat. c. VI. ſeq.*

* *L. 24. §. 2. et l. 26. D. de Iud.*

** *L. 22. et l. 25. eod.*

DCLXXVI.

Ne tamen modo adſerta independentia in perniciem ciuitatis, in qua degunt, legati abutantur, et ſub hac tanquam vmbra impunes deliteſcant, ſufficientia adhuc lege naturali prodita ſunt remedia, quibus aequalis contra aequalem iura ſua perſequatur. Scilicet laeſione iam illata, aut contracto aere alieno, legati nunc vrbe et finibus faceſſere iu-

Digitized by Google

iubentur, nunc coram proprio conueniuntur imperante, qui ſi iuſtitiam adminiſtrare recuſaret, ea adhibenda eſſent remedia, quae laeſo in laedentem naturali iure competunt *.

* LIV. *V. 36.* GROT. *II. 18. §. 4.* WICQVEFORT. *in libro l'Ambaſſadeur. l. I. ſect. XXVII. ſeqq.* VATTEL. *l. IV. c. 7. §. 94. ſeqq.*

DCLXXVII.

Atque in hoc quidem melior videtur eſſe legati conditio, quam ipſius imperantis; hunc enim in laeſione deprehenſum quum careat ſuperiore, cui reddat rationem ſuarum actionum, meritasque perſoluat poenas, remittere haud eſt neceſſe, ſed ſtatim ad praeſtandam debitam ſatisfactionem iure compelli poteſt.

DCLXXVIII.

Verum ſi laeſio a legatis nulla illata ſit, ſed inferenda iuſtis ex cauſſis metuatur, tum periculi auertendi gratia, publica tenentur cuſtodia, et interrogationibus ſubiiciuntur. Quod ſi in vim armatam ſeſe efferat eorum audacia, haec etiam morte adgreſſoris non per modum iudicii ſed per modum neceſſariae defenſionis cohibetur. *Vid.* GROT. WICQVEFORT. et VATTEL. *ll. cc.*

DCLXXIX.

Sed etiam iuris aequalitati, vt et aliis fauoribus pro ſe introductis renunciare gentes poſſunt. Quare ſi ſub iis tantum conditio-

tionibus admitti dicatur orator, vt vel criminali, vel ciuili, vel etiam vtrique foro territorii, ad quod accedit, ſubiiciatur, atque in id conſentiat gens mittens, nemini eſt obſcurum, naturalem illam, et ſubintellectam immunitatem reſtringi aut omnino ceſſare poſſe. Nec ideo tolletur legationis eſſentia, quae in eo ſaltem conſiſtit, vt poſſint gentes ſua deſideria ſibi inuicem tuto exponere.

DCLXXX.

Porro reſtricta cenſetur legati conditio, ſi ſubditus ſit loci, in quo legationem obit, quum non ſit in eius arbitrio priorem conditionem exuere; aut ſi conſenſu ſuae gentis munus quoddam in eo territorio, in quo eſt legatus, ſuſceperit. Perperam vero huc referunt nonnulli ius talionis, ſeu paris vindictae, hanc enim, ſupra traditum eſt, fere ſemper legi naturali repugnare. *cf.* Bynkersh. *l. c. cap. XI. et XXIII.* Grot. *l. c. §. VII.* Valer. Max. *l. VI. c. 6. §. 2.*

DCLXXXI.

Quum admiſſo legato ea omnia conceſſa intelligantur, quae ad finem ſui muneris obtinendum requiruntur, per ſe patet, ea, quae de ſanctitate et immunitate legatorum dicta ſunt, ad *comites* quoque, *vxorem*, *liberos*, *ſcribas*, *famulos*, *curſores*, *veredarios*, tum ad *vaſa* ſeu ſuppellectilem, nec non ad *aedes*,

quas

quas inhabitat, et *currus*, quibus vtitur, pertinere. Haec enim omnia communi veniunt legationis nomine, donec legato vel perſonas acceſſorias miſſas facere, vel res alienare viſum fuerit. *V.* LIV. *l.* 24. *l.* 7. *D. ad Leg. Iul, de vi publ.*

DCLXXXII.

Itaque comites legati domeſtico ſubſunt imperio, a quo coerceri, non tamen poena capitali adfici poſſunt, ſi delinquant, ſed vel vincti mittuntur in patriam, vel iudici loci extraduntur, vt ferat ipſe ſententiam, aut latam exſecutioni mandet. Contra ſecretarius et ſcribae legationis, quum officiales ſint mittentis, non iam familiae, ſed legati iure cenſentur.

DCLXXXIII.

Quoniam vero ſolutio vectigalium non tollit aequalitatem, quae inter gentes obtinet, ea etiam a legato praeſtari debent, ſi exigantur; haec enim ipſa exactio oſtendit, eum non niſi ſub hac conditione admitti. Ex eadem quoque cauſſa merces vetitas vel periculoſas introducere ei minime eſt permiſſum.

DCLXXXIV.

Quod ad bona legati mobilia attinet, ea pignoris cauſſa, aut ad ſolutionem debiti capi non poſſunt, vt omnis vis abſit a legato, et plena ſecuritate fruatur. Quod ſi aes alienum ſoluere detrectat, ea remedia vſurpan-

Digitized by Google

pantur, quae aduerſus debitores extra territorium poſitos vſurpari ſolent. *Vid.* GROT. *l. c. §. IX.*

DCLXXXV.

At bona immobilia, quum iam antea iuri territorii fuerint ſubiecta, veniente legato naturam ſuam haud immutant. Hinc quamuis legatus proprias aedes inhabitans tutum in iis habeat praeſidium, tributa tamen eum pendere non minus oportet, quam ſi alibi haberet domicilium.

DCLXXXVI.

Poteſt etiam legatus in ſuis aedibus religionem ſuam exercere, ſed perfugium dare, et aſylum delinquentibus idem foret, ac iisdem delicti gratiam facere, et ſe alieno regimini immiſcere. Nulla igitur gens talem tenetur perferre iniuriam. Quare ad auertendum publicum periculum tentatis nequidquam mediis lenioribus, ſubditos, ni dedantur, ex aedibus legati extrahere licebit.

DCLXXXVII.

Finitur legatio, ſi negotium fuerit impletum, ſi auocetur legatus a ſuo imperante, vel ab eo, ad quem miſſus eſt, dimittatur. Non vero ſi ipſe muneri ſuo renunciauerit, quum non nudus is ſit mandatarius, ſed ſimul officialis publicus. Finitur porro morte vel legati, vel quodammodo alterutrius ciuitatis. Etſi enim interea aut populus, aut

ſuc-

Digitized by Google

ſucceſſor in locum defuncti veniant, tamen legatio nouis literis credentialibus muniri et inſtaurari debet. Aedes autem etiam mortuo legato ſeruant immunitatem, donec ſcripturae et vaſa legationis ſint in tuto.

DCLXXXVIII.

Si bellum inter ambas gentes ante oriri contigerit, quam legati diſceſſerint, nihilominus illi ſunt inuiolabiles, eorumque laeſio *hoſtium ius; et ſacra legationis, et fas gentium rumperet* *. Ceterum priuilegia legatorum non ante exſpirant, quam dum in patriam ſunt reuerſi.

* Tacit. *Ann.* I. 42.

DCLXXXIX.

Atque haec de officiis legatorum in iure gentium naturali fundatis, dixiſſe ſufficiat; quod enim attinet legatorum numerum, ingreſſum, audientiam, primam ſalutationem, ſtipendia, titulos, gratuita hoſpitia, ceremonias, munuſcula, rationem tractandi negotia, lites de principe ſede, et alia huiusmodi, haec omnia ex pactis et moribus populorum arbitrariis repetenda ſunt. Idcirco plura de his commemorare noſtri non eſt inſtituti. *cf.* Moser *Ius gent. temp. pac. Lib. III. c. 1. ſeqq.*

CA-

# CAPVT XXIII.

## DE EO, QVOD IVSTVM EST INTER GENTES CIRCA BELLI INITIA.

DCXC.

De bello ac variis illius diuiſionibus egimus generatim in iurisprudentia ſimpliciter naturali; reliquum eſt, vt traditas ibi regulas ex natura et notione gentis latius euoluamus. Quam in re noua ſtatim ſeſe offert belli partitio in *publicum*, *priuatum*, et *mixtum*; publicum eſt, quod inter ciuitates, *priuatum*, quod inter priuatos propria auctoritate geritur, *mixtum*, quod ex vna parte publicum eſt, ex altera priuatum.

DCXCI.

Et quia in ſocietate ciuili ius decernendi de bello non ad ſingulos ciues pertinet, ſed ad ſupremam poteſtatem, ideo ratione formae bellum publicum apud probos auctores *iuſtum* quoque, priuatum vero *iniuſtum* nuncupatur.

DCXCII.

Quamobrem etiam romani hoſtem in ſenſu ſtricto eum vocabant, qui habet *rempublicam*, *curiam*, *aerarium*, *conſenſum*, *et concordiam ciuium*, *et rationem aliquam*, *ſi res ita tulerit*, *pacis et foederis*. * Reliqui vero, qui



Digitized by Google

arma arripiunt, niſi neceſſaria ſubſit defenſio, vel *rebelles*, vel *latrones* nominantur. Quorſum etiam magiſtratus, qui ſine conceſſione imperantis ſaltem tacita, ac milites, qui ſine conſenſu praefectorum exercent hoſtilitates, referendi ſunt.

* CICER. *Philipp. IV. c. 6. l. 19. ſ. 2. l. 21. ſ. 1. l. 24. D. de captiv. l. 118. de V. S.*

DCXCIII.

Sed alio ſignificatu etiam bella publica nunc iuſtis nunc iniuſtis accenſentur, prout vel cum legitima ratione, vel ſine illa ſunt ſuſcepta. Quum igitur iuſtifica bellandi cauſſa ſit ſola laeſio aliter indeclinabilis, conſequens eſt: vt nec gentes bellum iuſtum gerere aliter cenſeantur, quam ſi illud remedium euaſerit neceſſarium, quo ſecuritatem, indemnitatem, aut defenſionem iurium vel ad vniuerſos ſimul, vel ad ſingulos ſaltem ciues pertinentium conſequantur. Quare ſi nulla inferatur populo iniuria, aut haec aliter poſſit euitari, bellum fiet ratione cauſſae ſeu finis iniuſtum.

DCXCIV.

Ex quo prono fluit alueo, duo potiſſimum ſub belli initiis in conſpectu eſſe habenda, primo an vera ſubſit laeſio, dein an non alio modo poſſit declinari: ac porro ad finem belli iuſtum ſpectant ea tantum, quae *defendi*, *repetique et vlciſci fas ſit* *. Inde

iu-

Digitized by Google

iuſtitia vel iniuſtitia belli, tam defenſiui, quam offenſiui, ſiue hoc *reparatiuum* fuerit, ſiue *punitivum*, abunde colligitur. Ceterum cognitis cauſſis belli iuſtificis, quaenam ſint iniuſtae, contraria ratione facile concludi poteſt.

* Livivs V. 49.

DCXCV.

Inde quoque eſt, quod bellum iuſtum eſſe poſſit *ratione formae*, ſed *ratione cauſſae* iniuſtum, et viciſſim; immo in prima acceptione plerumque vtrinque eſt iuſtum, nunquam in ſecunda, iura enim non dari ſibi inuicem repugnantia alibi docuimus.* Sed et bella iuſta intuitu cauſſae ſaepe ſunt iniqua, et *hamus aureus piſcantibus*. Avr. Vict. *de mor. Imper. c. 1. cf.* Grot. *II. c. 24. et* Montesqviev *Eſprit des loix l. X. c. 2.*

* *Diſſentit* Daries *Obſerv. I. N. LXVIII.*

DCXCVI.

Quamquam gentes, quae pietatem, philautiam, et humanitatem neglectui habent, etiam a iuſtitia ſtrictius accepta facillime recedant, illud tamen ſatis cuique perſpectum eſt, actiones impias, inhoneſtas, vel iniquas ab actionibus iniuſtis, ſiue laeſionibus proprie diſcrepare. Quamobrem nec gentis idololatria, ſuperſtitio, hypocriſis, aliaque in Deum crimina, nec eiusdem ſtupiditas, aut rei familiaris incuria, nec denique ſumma in adiuuandis aliis torpedo legi-

 ti-

Digitized by Google

timae ſunt bellorum cauſſae. Atque adeo falluntur ſummopere illi, qui hoc ſenſu bella ſtatuunt punitiua.

DCXCVII.

Equidem bellum ad poenam licere docet Grotivs *, ſi delicta manifeſtis naturae legibus aduerſentur, quem ſequitur Dariesivs ** ex illa ratione, quod obligatio alios perficiendi ius det ad media ad hunc finem ducentia. Enimuero primo media officiis contraria eſſe non debent, dein falſum eſt, religionem et humanitatem armis promoueri.

* *II. XX. §. 38. ſeqq.*
** *Obſ. I. N. LXVI.*

DCXCVIII.

Nec quidquam iuuat aduerſarios Hebraeorum exemplum, qui varios populos facinoroſos vi deſtruxerunt. Aderat enim expreſſum Dei mandatum, quod vti per ſe non praeſumitur, ita nec falſa fingere vaticinia, nec vera in eum ſenſum detorquere licebit. Grot. *II. XXII. 15.*

DCXCIX.

Sed ex eo quoque, quod blaſphemia, et aliquando ingratitudo puniantur legibus ciuilibus, nulla poteſt duci ad bellum punitiuum concluſio. Nam poenae ideo in republica decernuntur, quod haec vitia ipſi ſunt pernicioſa ſocietati, cui ſinguli ſe ſubiecerunt ciues; vt porro ſi imperanti, cuius

eſt

eſt obligationes naturales imperfectas perfectas facere, non paruerint, poenam omnino mereantur.

DCC.

Illud tamen facile conceſſerim, cauſſam bello iuſtam praebere religionem aliis iniurioſam, veluti vt immolentur peregrini et humanae victimae; quo ſenſu Chriſtianis foedera contra infideles ineunda, ſcilicet *graſſante armis hoſte impio*, veriſſime tradidit Grotivs* male a quibusdam reprehenſus.

* *L. II. c. XV. ſ. 4.*

DCCI.

Etſi vero concederetur expedire populo, vt alteri pareret, hocce imperium tamen nemo ſibi poteſt adrogare in inuitos, quum cogere alterum non liceat ad id, quod ipſi eſt vtile futurum, nec ſolum alterius commodum ius perfectum in eiusdem actiones nobis tribuat. Grot. *II. c. XXII. ſ. 11. ſeqq.*

DCCII.

Et quoniam qui obligationi ſuae ſatisfacit, aut iure ſuo vtitur, nemini infert laeſionem, nefas certe foret, arma aduerſus eos populos ſumere, qui bona et perſonas ſuorum ciuium, veluti nuptiis ac commerciis augere, et fines imperii occupatione, pactis, hereditatibus aliisque modis legitimis dilatare ſtagunt. Neque enim malas ſtatim



Digitized by Google

inferre velle praeſumitur, qui inferre poteſt. Quare tum demum nimiam potentiam pro futura ſecuritate imminuere licebit, ſi *formidabilis* ſit, et *tremenda*, ea ſcilicet, quae aliorum damnis creſcat, vel ſaltem animum prodat hoſtilem.

DCCIII.

Vnde iam corruit DARIESII * argumentum, quod pateat ab experientia, debiliores a potentioribus opprimi. Nam hoc verum eſt de iis, qui mediis iniuſtis nimiam potentiam ſunt adepti; ſecus ſatius fuerit, ſe domi munire, pangere foedera, petere cautiones, et ſignum hoſtilis animi praeſtolari, cetera vero diuinae committere prouidentiae.

* *Obſ. LXIV.*

DCCIV.

Sane qui alterum impedit, ne vires ſuas iuſtis mediis augere poſſit, ei facit iniuriam, et ius belli tribuit, quod ratione cauſſae iuſtum eſſe nequit ex vtraque parte. Ac profecto contraria doctrina viam aperit perpetuis bellis, illudque parit abſurdum, etiam hominem debilem vel pauperem ius belli in diuitem et robuſtum ſemper habere. *v.* GROT. *II. I. ſſ. 5. & 17. II. XXII. ſſ. 5.* PVFEND. *VIII. VI. 5.*

DCCV.

Stant in *aequilibrio* gentes, quarum vires ita inter ſe ſunt diuiſae, vt aliae aliarum

im-

impetum ſuſtinere ſatis valeant. Quoniam multa et maiora fieri poſſunt potentiae incrementa ſine turbatione aliorum, ſola aequilibrii conſeruatio iuſtam non tribuit belli cauſſam, quae tum primum ſeſe exerit, quum illum, qui rumpit aequilibrium, potentia adquiſita abuti, et in aliena iura euagari velle eſt compertum. *cf.* Nevrevter *diſſ. I. N. de iuſtis aequilibrii finibus Mogunt.* 1746.

DCCVI.

Quae quum ita ſint, id quisque exploratum habere debet, rationes ſuaſorias, quae nimirum a ſolo priuato commodo et vtilitate ducuntur, veluti cupiditate amoenioris ſedis, inuentione rerum ab aliis occupatarum, deſiderio libertatis, non ſufficere ad bellum iure inferendum; haec enim non ante deliberationem habent, quam ſi quaeratur, an ſatius ſit diſſimulare, quam depellere iniuriam. Bella autem gerere ſolius voluptatis ac vanae gloriae cauſſa, immanis feritas eſt, quae belluarum, ne dicam hominum excedit modum. Ivstin. *XXV*.4.

DCCVII.

Itaque ius ſolius conuenientiae, ſiue opportunitatis, quam *rationem ſtatus* perperam dicunt nonnulli, merum eſt commentum; nec enim vtilitas ex parte tantum eſt metienda, ſed ex toto ac conſequentibus, ne iura ſecus fingamus repugnantia. Si vero ad id, quod



Digitized by Google

quod mihi ab altero tribui eſt vtile, ius habeo perfectum, alteri idcirco, quia idem a ſe non auferri ſibi expedit, ius perfectum ſit non patiendi, vt adimatur, neceſſe eſt. Quare ratio ſtatus tum demum valebit, ſi quaeratur, num bellum per ſe iuſtum etiam cum vtilitate ſuſcipi poſſit.

DCCVIII.

Quoniam autem rationes iuſtificae palam proferri, ſuaſoriae vero a belligerantibus occultari maxime ſolent, ſatis in aperto poſitum eſt, cur illae *praetextus*, hae vero *cauſſae* a POLYBIO et SVETONIO nominentur. *cf.* GROT. *II. XXII.* §. *1.*

DCCIX.

Et quum non ex quacunque laeſione, ſed ex ea demum, quae aliter declinari nequit, ius belli effloreſcat, cauebit profecto arma imperare populus, quam diu praeſidium aliud, quo ſe tueatur, inuenturus eſt. Hinc ſi de iure dubio ſit quaeſtio, et neuter litigantium idonea fungi probatione poſſit, illas inire leniores vias oportebit, quas naturae leges ſingulis hominibus nullius iurisdictioni ſubiectis praeſcribunt.

DCCX.

Etenim incommoda ſtatus naturalis, quamuis ea inter ſocios ſuſtulerit ſocietas ciuilis, inter plures tamen ciuitates hodiedum perdurant, nec eadem per commune Chri-

ſtia-

ſtantarum gentium tribunal iam a GROTIO * propoſitum, nec per comitia ſtatuum Europaeorum Abbati S. PETRI probata, nec per monarchiam vniuerſalem, quam optauerat GVNDLINGIVS**, ſatis videntur praecaueri poſſe.

* *II. XXII. §. VIII. n. 4.*

** *Diſſ. de ſtatu nat. in fin.*

DCCXI.

Igitur ad eum finem adhiberi deberent ſermones aut concilia legatorum, et ideo vel audiendus arbitrator, vel conciliatori, *mediatorem* vocant, locus in congreſſu dandus, vel etiam arbiter ſeu diſceptator depoſcendus, vt ſi non liceat litem componere, transactionem inire, facere compromiſſum, ſorti denique honeſtae rem totam committere permittatur.

DCCXII.

Ad ſortes licitas perperam refertur certamen inter ſingulos, binos, ternos, plures, ue condictum ea lege, vt, cuius populi athletae illa pugna vicissent, huic alter populus rem litigioſam praeſtaret, quaſi probatione iam ſequuta. Etſi enim innumera extant huiusmodi dimicationum exempla, tamen quum in cauſſis controuerſis leniora praeſto ſint ſortium genera, nefas foret vtrique parti ad duriora prouocare. Duellis vero proprie accenſeri nequit illa pugna, quae

populus, cuius res iam deſperata eſt, certam cladem incerto paucorum periculo redimere tentaret, hoſte hanc optionem permittente. *cf.* Grot. *II. XXIII. 10. & III. XX. 43.*

DCCXIII.

Equidem non pauci inueniuntur, qui, vtut damnent certamen ſingulare inter priuatos, tamen cum Alciato * exiſtiment, illud inter populos decerni poſſe, vt ſine magna clade et ſine multo ſanguine controuerſia finiatur. ** At ſpecioſa haec corruit argumentatio, ſi cogitemus, licere quidem inter duo mala minus eligere poſita vera conflictatione officiorum, non extra illam.

* *De duell. l. III.*

** Ickstatt *I. G. l. IV. c. II. §. 25.* Daries *obſ. LXVIII. §. 36. ſeqq.* Concina *Theol. Chr. Tom. II. p. 101.*

DCCXIV.

Neque pro contraria ſententia quidquam probant pugnae Dauidis cum Goliatho, et S. Wenceslai Regis Bohemiae cum Radislao comite de Garime. Vti enim prius exemplum ſpeciali Dei inſpirationi tribuunt ſacrae litterae, ita et poſterius, ni falſa ſit tota illa hiſtoria, eidem cauſſae ab hiſtoricis adſcribitur. *cf.* P. Gerdil *traité des combats ſinguliers c. VII. p. 112.*

DCCXV.

Vbi igitur certa eſt et aliter indeclinabilis iuris gentium violatio, vel in re dubia

nul-

nullus placido litem finiendi modo relinquitur locus, ius exiſtit violentae exſecutionis; in quo genere tamen illud maxime fugiendum eſt, vt ne remedia duriora prius, quam leniora impendantur, et ne belligerantes malis grauioribus, quam quae ad auertendam laeſionem neceſſariae ſint, hoſtes ſuos adficiant. Inde fit, vt populi, antequam incurſionem faciant in aduerſariorum fines, bellumque gerant offenſiuum, prius amico modo iniuriae ceſſationem poſtulent, et porro ſi fieri poſſit, ad retorſionem iuris, et pignorationes confugiant.

DCCXVI.

Fit autem iuris *retorſio*, ſi quo iure imperantes vel conciues noſtri apud extraneos vtuntur, eo et extranei apud nos vti compellantur. Hoc quemadmodum ſummam habet aequitatem, quoties vel iniquae ſunt in peregrinos leges alicuius ciuitatis, vel ſaltem a noſtris diuerſae, ita ſi ab vno populo in alterum populum vel ſingulos ciues aliquid iniurioſe decernatur, lenior haec ſaepius poteſt eſſe via, atque idonea ad bellorum ſtrages euitandas. Sint tamen ita comparati retorſionis actus, vt ad iuris laeſi expletionem, et obtinendam ſatisfactionem pertineant.

DCCXVII.

Digitized by Google

DCCXVII.

Itaque ſi ciuibus noſtris pars hereditatis detrahitur, vel cenſus imponitur emigrationis, idem cum extraneis obſeruare licebit; aut ſi noſtrates a nuptiis, muneribus, nundinis in altera ciuitate excluduntur, huius quoque ciues excludi rite poſſunt. Qua de cauſſa plures gentes ius Albinagii in Gallos antea vſurparunt. Quid vero ſi conſueti honorum tituli imperanti vel tranſitus innoxius ſubditis denegetur, nonne et aliis haec ipſa poterunt denegari?

DCCXVIII.

Sed quoniam talio ſeu par vindicta inepta eſt defenſionis ratio, manifeſtum fit, eam iure retorſionis haud contineri. Quare legatos vel obſides alienos occidere nefas foret, etſi noſtri ab aliis interficiantur. Sane huiusmodi factum malo, quod iam illatum eſt, auertendo, aut reparando minime eſſet idoneum. Nec vlla fingi ſpecies poteſt, in qua homini alterum hominem innocentem, et a quo nulla imminet laeſio, liceat ſua auctoritate trucidare. GROT. *III. II. 6*.

DCCXIX.

*Pignorationes* ſunt actus, quibus res vel perſonae ſubditorum populi vnius ab altero populo *prenſantur*, id eſt, pignori capiuntur, donec ſibi de iniuria ſatisfiat. Itaque duplex eſt pignorationum genus, aliud rerum

ſeu

ſeu *repreſſaliae* in ſpecie, aliud perſonarum ſeu *androlepſia*.

DCCXX.

Quum populus perſona ſit, ac corpus morale, in quo ciues ſinguli, veluti totidem membra, eorum vero bona tamquam partes in toto ciuitatis patrimonio continentur, conſequens eſt, vt ſi de mitioribus debiti conſectandi remediis deſperetur, tam repreſſaliae, quam androlepſia non tantum moribus, ſed etiam naturali gentium iure recte vſurpentur.

DCCXXI.

Obtinent potiſſimum repreſſaliae in ſpecie, ſi ſuprema gentis tribunalia legitime requiſita iuſtitiam adminiſtrare denegent, vel protrahant iniuſte. Contra ſi homines noſtri cauſſa in alterius territorio detineantur, adhibetur androlepſia. Quare bona per repreſſalias capta iure rerum oppignoratarum, perſonae vero per androlepſiam prehenſae iure obſidum cenſentur. *

* *cf.* ZIEGLER *de iurib. mai. l. c. 34. n. 10.*

DCCXXII.

Scilicet vti res, et operae hominis naturaliter obligatae ſunt creditoribus in ſecuritatem debiti, ita etiam obligatae ſunt res et operae ciuitatis non iure gentium arbitrario, vt putat GROTIVS *, ſed neceſſario. In eo tamen eſt differentia, quod iure naturae

in

in ſpecie res auferantur tantum debitori, at iure naturali gentium bona ciuis pro debito ciuitatis ſint obſtricta.

* III. II. §. 2. et §. 5. n. 2.

DCCXXIII.

Quoniam autem ius cogendi in ciuitate eſt maieſtaticum, perſpicitur iure repreſſaliarum non gaudere niſi imperantes, vel horum auctoritate ſubditos, literis, quas vocant *marcae*, obtentis. Hinc duo ciues eiusdem ciuitatis, quum communia habeant iudicia, laederent procul dubio imperantis maieſtatem, ſi repreſſaliis inter ſe vterentur.

DCCXXIV.

Sed actio ciuis non imputatur ciuitati, niſi et haec ſit eius moralis cauſſa. Quare ciuitas non tenetur ex debito a ſuo ciue cum extraneis contracto, niſi et ipſa, veluti ius non reddendo, ſe ea de re obſtringat. Eo vero magis abſurdum foret, quosuis peregrinos vexare pignorationibus.

DCCXXV.

Et ſicut quisque expreſſe vel tacite renunciare poteſt iuri ſuo permiſſiuo, ita hoc nomine pro certis rebus vel perſonis veluti ratione depoſiti, legati, obſidis, pignorationes ſunt illicitae: ea enim eſt harum rerum vel perſonarum natura, vt quoad has populus iuri pignorandi renunciaſſe videatur. Contra ceſſare non intelligitur paullo ante

ex-

expoſita iuris retorſio, quae etiam cum legatis, obſidibus, rebusque depoſitis omnino exerceri poteſt. *cf.* Grot. *III. II. 7.*

DCCXXVI.

Laeſionem reſarcire tenetur, qui eius eſt auctor. Et ideo ſi laedatur ciuis per pignorationes, indemnitas ei debetur a propria ciuitate, nec enim ab illo, qui exercet repreſſalias, ſed ab eo, qui debitum non ſoluendo, vel ius non reddendo eſt earum cauſſa, patitur iniuriam. grot. *III. II. §. 7. n. 4.*

DCCXXVII.

Nunc pronum erit ad grauem illam quaeſtionem reſpondere, an iuſtum ſit bellum, quod nulla praeuia clarigatione aut denunciatione eſt ſuſceptum. Quum enim *clarigatio* ſit *rerum vel cuiuscunque alterius iuris clara voce facta repetitio*, * verborum autem diſceptatio praecedere debeat decertationem per vim, abunde intelligitur, ad iuſtitiam belli offenſiui aliquam ſemper clarigationem pertinere.

* *V.* Plin. *XXII. 2.* Serv. *ad Virg. Aen. IX. 53. et X. 14.*

DCCXXVIII.

Contra quia *bellum denunciare* populus dicitur, qui alteri populo voluntatem ius ſuum vi armata perſequendi expreſſe declarat, vtique praetermitti poterit diſerta belli denunciatio, ſi gens, quae clarigatum miſit, ius, quod

Digitized by Google

quod habet belli inferendi, iniuriae auctori ſatis promulgauerit; nec maius quoddam pondus pro auertenda laeſione in minis ineſſe ſperetur.

DCCXXIX.

Equidem omitti poſſe clarigatio viſa eſt Coccio*, primo iure talionis, dein ſi inutilis credatur, aut damnoſa futura, in quo et Gvnervs** ei adſentitur. Enimuero talionem generatim iniuſtam eſſe ſupra vidimus; quis vero inutilem dixerit iuris repetitionem, ſi nusquam adhuc facta? Itaque verbis prius diſceptandum eſt quam vi; ſecus enim populus armis laceſſitus poſſet contra adgreſſorem iuſta ignorantia ſe tueri.

* *Ad Grot. III. III. 6. p. 74.*

** *Ad Darieſ. §. 962.*

DCCXXX.

Quod ſi tamen nec legatis, nec litteris vllus pateat ad hoſtem aditus, res ipſa loquitur, impoſſibilem tum eſſe clarigationem; quam neque adhibere oportebit in bello defenſiuo, quippe in quo omni eſſet deſtituta effectu.

DCCXXXI.

Ex eo vero, quod quis ius ſuum repetat, probetque, alter intelligere ſatis poteſt, modis placidis violentos eſſe ſucceſſuros; et ideo in clarigatione tacita fere belli denuntiatio continetur. Ceterum

ex

ex ſcopo clarigationis manifeſtum eſt, inter hanc et belli initia tantum intereſſe tempus debere, quantum requiritur, vt alter poſſit debitum vel agnoſcere, vel denegare.

DCCXXXII.

Omiſſa autem clarigatione neceſſaria eſt belli indictio, vel ſub expreſſa conditione, *ſi non ſatisfiat*, vel etiam ſine illa, quum per ſe hujusmodi conditio ſubintelligatur, modo iuſta bellandi cauſſa fuerit addita. Non igitur quisquam iuſte ageret, qui ſub colore amicitiae vel praeſtandi auxilii accederet alienas terras, et vi bellica eas ſibi ſubiiceret. Quare nullum eſſe bellum iuſtum poteſt, niſi *quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum ante ſit et indictum.* Cicer. *Off.* I. 11.

DCCXXXIII.

Sed etiam neceſſaria erit belli indictio, ſi ſpes ſit fore, vt alter metu ad ius tribuendum impellatur, aut ſi ea fuerit promiſſa. Nimis generatim vero Grotivs* adſerebat, non opus eſſe interpellatione, ſi dominus rei ſuae manum iniicere velit; quid enim, ſi res ab altero bona fide poſſideatur, nec vlla dominii probatio ſit ſequuta? Id ergo tum ſolummodo verum erit, ſi apta praeceſſerit rerum repetitio.

* III. III. §. 6. n. 1.

T DCCXXXIV.

DCCXXXIV.

Modi bellum indicendi, ac ritus ſunt arbitrarii. Olim legatos ac praecones, hodie edicta ſeu libellos publicos, vulgo *manifeſta* adhibere ſolitum eſt, quorum inſignis in eo ſtatim ſeſe exſerit vſus, vt quisque de iuſtitia noſtrae cauſſae perſuadeatur. Solent autem ea aliquando bellum inchoatum ſubſequi, ſi facta clarigatione vlterior et aperta denuntiatio fuiſſet iuſtae cauſſae nocitura.

DCCXXXV.

Itaque non praetereunda videtur illa belli publici diuiſio, qua prout denunciatio facta eſt, vel praetermiſſa, aliud *ſolemne* dicitur, aliud non *ſolemne*, cuius diuiſionis declaratio ex iis, quae paullo ante tradita ſunt, abunde intelligitur. *cf.* IOH. CONR. LOEHR *Diſſ. de indict. belli Altorf.* 1754.

DCCXXXVI.

Differt a belli indictione eiusdem *publicatio*. Belli enim indictio fit ab adgreſſore ei, cum quo manu armata congredi cogitat, at belli publicatio fit ab vtraque parte belligerante tam propriis ſubditis, quam etiam aliquando ſummis poteſtatibus aliis; vt illi nimirum cognoſcant, quid ſibi durante bello in perſonas et res hoſtiles liceat, et quomodo ſibi ab hoſtium impetu praecauere teneantur, hae autem ex iuſtitia cauſſae ſumant.

Digitized by Google

mandi momenta nobis adſiſtendi, vel ſaltem hoſtibus noſtris nulla praeſtandi auxilia.

DCCXXXVII.

Atque hunc in finem etiam edicta ſeu *manifeſta*, et *antimanifeſta* in lucem emitti ſolent, in quibus, cur rationibus pugnandum ſit, non iniuriis, res eſt apertior quam vt probatione indigeat. Non raro quoque publicationi adduntur *literae euocatoriae*, quibus ſubditi, vt redeant ex territorio hoſtili, admonentur.

# CAPVT XXIV.

## DE EO, QVOD IN HOSTEM PVBLICVM LICET.

DCCXXXVIII.

Bellum publicum iuſtum quidem ratione poteſtatis, cauſſae et indictionis, tamen ratione modi, quo geritur, iniuſtum adhuc eſſe poteſt, ſi nimirum vehementiora, quam ſcopus belli poſtulat, mala hoſti inferantur: quod nonniſi propter conflictum officiorum, vbi ſcilicet impoſſibile eſt remedium lenius, maioribus malis alterum adficere ſit permiſſum.



Digitized by Google

DCCXXXIX.

Quamuis vero huius rei aeſtimatio in dubio a cuiusuis gentis laeſae iudicio vi naturalis libertatis pendeat, et ideo etiam ius belli ad iura indefinita referendum ſit; attamen vti vis omnis, quae ad iniuriam declinandam haud eſt accommodata, *crudelitas bellica* dicitur, et iuſtitiae etiam externae aduerſatur, ita quoque, ſi remediis de ſe licitis populi belligerantes abutantur, poenas ſaltem fori interni et conſcientiae haud euadent. *cf.* GROT. *L. III. c. I. et c. IV.*

DCCXL.

Ex hiſce vero intelligimus, omnes molitiones, quae natura ſua ita comparatae ſunt, vt hoſti iniuſto laedendi voluntatem vel vires adimere, atque ad praeſtandam integram ſatisfactionem eum permouere poſſint, etiam durante conflictu officiorum, eſſe licitas. Quare non prius haec concertandi facultas deſinit, quam ſi oblatis, vel acceptis, aut etiam vi extortis aequis conditionibus ſecuritas atque indemnitas gentis laeſae ſit obtenta.

DCCXLI.

Sane damna quaecunque ex bello orta, quorſum ſubditorum et rerum iacturae, omnesque impenſae bellicae pertinent, hoſti iniuſto imputantur; negari itaque nequit, horum etiam rationem, antequam arma deponantur, eſſe habendam.

DCCXLII.

DCCXLII.

Et quoniam qui ſufficiens ſit atque efficax ad ius ſuum conſequendum modus ipſe iuſtus bellator perpendere poteſt: nihil profecto intereſt, quonam loco, aut quonam tempore, porro an vi aperta, vel occulta, aut etiam alio ad hoſtem domandum idoneo momento, veluti metu, ſiti, inedia, illum conetur dearmare.

DCCXLIII.

Caueant tamen ſibi ciuitatum rectores et belliduces, ne iuſtam cauſſam incertae committant aleae, et ne vita hominum aut ſanguis ſine neceſſitate profundatur; et ideo primum ingenio, arte, ac prudentia, et demum praelio, in quo *amplius ſolet fortuna poteſtatis habere, quam virtus**, ipſis dimicandum eſt.

* Veget. *axiom. III. 26.*

DCCXLIV.

Porrigitur autem vis bellica cum in perſonas, tum in res hoſtiles, hoc eſt, tam in omnes et ſingulos ciuitatis, cum qua bellum geritur, ſubditos ſine ſexus aut aetatis diſcrimine, quam in totum patrimonium, quod ab vniuerſis vel immediate vel etiam mediate obtinetur, quo etiam res incorporales, quaeque hoſti a tertio debita ſunt, continentur.

DCCXLV.

Contra parcendum erit peregrinis, atque eorum bonis, in ſolo hoſtili deprehenſis, ſi tamen ſe non eſſe de territorio oſtenderint. Quin etiam perſonam hoſtilem in territorio pacato deprehenſam violari vetat ius gentis, ad quam ea regio pertinet.

DCCXLVI.

Quum vero quantitas violentiae, quae in perſonas hoſtiles licet, ex remedii neceſſitate aeſtimetur, nemo non videt, eas aliquando capi, et vel ad modum androlepſiae detineri, vel etiam ad ſubiectionem ſeruilem cogi, aliquando vero, ſi nimirum ſe opponant, inuadi, vulnerari, immo et interfici poſſe. In eorum enim ſaeuire corpora, a quibus vtpote inermibus nullum metuitur periculum, ſumma foret iniuſtitia et *crudelitas bellica.*

DCCXLVII.

Igitur recte capiuntur non milites modo, qui finem belli impediunt, ſed etiam alii veluti viri dignitate conſpicui, illuſtres foeminae ac virgines, vt hoſtis ita ad eos redimendos et pacem amplectendam compellatur. Quare captiuos ſtatim ſeruos fieri nulla ſolida ratione demonſtrari poteſt.

DCCXLVIII.

At ii hoſtium ſubditi, quos exorto bello in noſtro territorio deprehendi contigerit,

Digitized by Google

rit, protinus capi minime poſſunt, ſed diſcedere volentes intra certum temporis ſpatium omnino dimittendi ſunt, ſiquidem permiſſo peregrinis ingreſſu in territorium, et tuta diſcendi facultas conceſſa eſſe intelligitur.

DCCXLIX.

Quod ſi perſonae in captiuitatem veniunt iuſtam, imperium in eas adquiſitum, niſi aliter conuentum ſit, tale eſſe praeſumitur, quale origine ſua in populo reſidebat. Quum tamen ſocietas ſine vnione voluntatum nulla intelligatur, opus ſemper eſſe aliquo conſenſu ſubiectorum facile quisque conceſſerit.

DCCL.

Quoniam omnis crudelitas a bello etiam iuſto exulare debet, ratio perſpicua reddi poterit, cur iniuſtum ſit occidere I. ſenes, effoetos, infantes, pueros, feminas, aut religionis miniſtros, qui ab omni vi abſtinent, nec vllum produnt nocendi animum; II. captos aut ſine conditione deditos, nullius praecedentis delicti reos; III. arma deponentes, vitam ſaluam pactos, aut paciſci volentes, etſi ita reliquos terrefieri opus eſſe videretur; aut IV. eos, qui fortiter reſtiterunt in obſidione, vel etiam ſine pugna ſeſe dediderunt; temeritas enim ac pertinacia bellantium aliis adhuc viis coerceri poteſt.



Digitized by Google

DCCLI.

Multa tamen eueniunt indirecte et extra agentis propoſitum, ad quae per ſe nullum competeret ius. Ita nauis, domus, vrbs petitur tormentis, etſi hac ratione et perſonae inermes in vitae diſcrimen adducantur. His igitur mala non tam inferuntur ab iuſto adgreſſore, quam ab eo, qui ſine iure reſiſtit.

DCCLII.

Quae de perſonis hoſtium dicta ſunt, eadem quoque obtinent intuitu rerum hoſtilium. Has enim debitas hoſtibus retinere, tum mobiles eripere, immobiles ſibi ſubiicere, fortalitia expugnare, et demoliri, contributiones militares pro viribus cuiusque loci deuicti exigere, immo et totum territorium cum imperio eidem adnexo iniuriae declinandae cauſſa in ſuam poteſtatem redigere, ſeu occupatione bellica adquirere, naturae legibus minime eſt aduerſum.

DCCLIII.

Aſt nefas foret agros ſine neceſſitate depopulari, incendere vrbes, aliasque res vaſtare, ſeu corrumpere et deſtruere, quarum conſeruatio ad bellum faciendum, ducendum, ac renouandum nihil habet momenti, quo fere templa pertinent, imagines, ſepulchra, et res, quae religionem vnice reſpiciunt.

DCCLIV.

Digitized by Google

DCCLIV.

Sicut perſonas hoſtiles in territorio pacato morantes violare non licet, ita et res hoſtium in terra pacata exiſtentes occupans iniuriam faceret loci domino, cuius etiam eſt pars maris tantum ad globi tormentarii iactum a territorio remota.

DCCLV.

*Praeda* ſunt res mobiles a militibus hoſti ablatae. Quum belli iura non vnicuique ciui competant, ſed vniuerſae genti, bona quoque, quorum praedam fecerunt milites, in gentis veniunt dominium, a cuius porro voluntate pendebit, an aliquid et quantum ſingulis praedatoribus relinquendum ſit, praeſcribere.

DCCLVI.

Sed quoniam perſonas ac res ab iniuſto hoſte ablatas iterum auferre licet, quin ambo priſtinum recuperare ſtatum, ſeu *poſtliminii* iure naturaliter gaudere poſſint, non eſt dubitandum.

DCCLVII.

Simulatio, aut diſſimulatio ad hoſtem circumueniendum adhibita *ſtratagema* nuncupatur. Quum fas ſit belligerantes arte et ingenio magis, quam vi aperta dimicare; dubium non habet, licita eſſe quaecunque ſtratagemata, et hinc metum aut fugam fingi, inſolitas veſtes, arma velaque indui, im-



Digitized by Google

mo et exploratores, qui apud hoſtem clam degant, eius conſilia, vires, ſtatumque omnem expiſcentur, ac prodant, mitti recte poſſe. *cf.* POLIAENVS, VEGETIVS, FRONTINVS *de ſtrategematibus.*

DCCLVIII.

Ex his vero colligebant plerique, *etiam veneno globos, ſagittas, aquas corrumpere, et ita interimere hoſtem, porro immittere percurſores, qui fugam, ſubiectionem, amicitiam ſimulantes ex inſidiis et dolo rectorem aut belliducem exercitus hoſtilis interficiant, naturali gentium iuri haud eſſe contrarium. Enimuero vti vſus veneni mala gignit abundantia, atque immodica, ita immiſſio percurſorum remedium eſt, et vtenti maxime periculoſum, et generatim ad finem belli obtinendum minime idoneum.

* GVNDLING. *I. N. c. IX.* §. *40.* WOLF. *Inſt. I. N. et G.* §. *1209.* DARIES §. *965. et ibi Guner.* HEINEC. *I. N. et G.* §. *201.*

DCCLIX.

Rectius itaque alii vtramque hanc damnant bellandi rationem, quam ſane humaniorum gentium mores nuſquam comprobarunt, * vt adeo ad GROTII ** diſtinctionem, quam inter ius gentium naturale et voluntarium adduxit, confugere haud ſit neceſſe. At inopinum militis ſuperuentum ab immiſſione

per-

percuſſoris differre haud recte quiſquam negauerit.

* Vattel. III. c. VIII. §. 155.

** III. c. IV. §. 15. ſeqq.

DCCLX.

Multo vero minus ſtupra, adulteria, aliaque huiusmodi flagitia cum victis commiſſa congruunt armorum iuri, quod nec patitur, vt feminae impurae ad inficiendum hoſtilem militem ſubmittantur. Sane et is peccat, qui alteri peccandi cauſſam dat, et ideo illicitum quoque erit, hoſtiles ſubditos ad proditionem impellere, etſi operam ab iis ſponte oblatam acceptare haud ita repugnet. cf. Grot. III. I. §. 21. et 22.

DCCLXI.

De vſu magiae in hoſtem licito vel illicito ſaepius diſputatum eſt. Enimuero quin ad magiam naturalem recurrere liceat, nemo inficias iuerit; caetera vero magiae genera iam inania ſunt commenta *. Quod ſi quis tamen huic veritati non adſentiatur, et nos velit reſponſum dare non ſubterfugere, is cogitet, officia erga Deum negatiua omnium eſſe antiquiſſima.

* cf. Constantin. Franc. de Cavz de cultibus magicis. Vindob. 1767.

DCCLXII.

Inter remedia, quibus hoſtium vires franguntur, armorum auxiliarium imploratio re-

repetitur. Itaque quaelibet gens iure huiusmodi implorandi auxilia, et hinc bellicam ſocietatem ineundi, ſeu belli foedera percutiendi gaudet. Quum vero, qui meum hoſtem adiuuat, belli fiat particeps, quae hactenus de iuſto vel iniuſto hoſte tradita ſunt, ea omnia ad belli ſocios adplicanda ſunt.

DCCLXIII.

Sicut ergo praeſtare homini auxilia licet in bello iuſto ex ſolo humanae naturae vinculo, ita etiam ſuccurrere genti bello iniuſto laceſſitae omnino eſt permiſſum, etſi nullum praeceſſerit foedus; nec ideo gens iudicium in alteram gentem ſibi videtur vſurpare. Diſtinctiones a KOEHLERO adlatae * rationibus politicis magis, quam iuridicis nituntur. v. KEVFEL *Exer. ad Grot.* §. 38.

* *I. N. ſp. VII.* §. *1818.*

DCCLXIV.

At contractus de praeſtandis operis militaribus tum ſolum vitio caret, ſi ſatis de iuſtitia belli conſtet. Improbum igitur eſſet militiae genus, quo peregrini mercede conducti militarent ſine vlla cauſſae cognitione, cf. PVFEND. *VIII. 1. 8.* KEVFEL *l. c.* §. *176.*

DCCLXV.

Bellum vni genti indictum omnibus etiam eius ſociis indictum cenſetur. Diſplicet id VATTELIO *, aliisque, qui belli ſocios ab illis diſtinguunt, qui vi foederis defenſivi de-

determinata mittunt auxilia. At haec diſtinctio a rationibus rurſum politicis potius, quam iuridicis deriuatur. *cf.* Grot. *L. c. V. §. 1. ſeqq. et II. c. XXV.* Kevffel. *§. 186. et 200.* * *III. c. VI. §5.*

DCCLXVI.

Et quoniam belli ſocii viribus ſuis phyſicis concurrunt ad bellum gerendum, res etiam occupatione bellica adquiſitae diuidendae erunt pro rata cum illis, niſi aliter conuentum ſit; quod vtique licet ad euitandas lites.

DCCLXVII.

Intercedere populi alterius armis ſeu eidem adſiſtere actio eſt poſitiua; quae requirit occaſionem, de qua cuique firmum permittendum eſt iudicium. Quemadmodum porro homines ſinguli, ita et gentes nullo ſpeciali foedere obſtrictae iure vtuntur *neutralitatis*, ſeu neutras ſequendi partes.

DCCLXVIII.

Hoc qui faciunt, manent in bello medii, igitur alieni eſſe debent a fauore et ſtudio partium, hoc eſt, nullum conatum alterutri belligeranti peculiaria praeſtandi auxilia praeſeferre. Quod ſi vni parti quid permittitur velut annonae coemtio, tranſitus militum, et alteri idem erit permittendum.

DCCLXIX.

Digitized by Google

DCCLXIX.

Porro in bello medii pati non poſſunt, vt in ſuis territoriis hoſtis vnus res alterius capiat, vel perſonas perſequatur. Sane iuſtitia cauſſae ſufficiens ratio non eſt, ob quam quis ius in alterius non hoſtis regionem ſibi adrogare queat.

DCCLXX.

Inde quoque patet, cur qui vrbi obſeſſae aliquid ad fouendam defenſionem aduehit, medius non maneat; quapropter res eius intercipiuntur ſine iniuria. Quod ſi vero pangantur neutralitatis foedera, ſeu pacta, vt populus alteri populo non ſuppeditet auxilia bellica; non ideo quis pacata continuare commercia, vel genti cetera praeſtare officia prohibetur, quae pacis etiam tempore debentur. *cf.* GROT. *III. c. I. §. 5. et c. XVII. §. 1. ſeqq.* KLVF. *ad Grot. §. 181. ſeqq.*

---

# CAPVT XXV.

## DE CONVENTIS BELLICIS ET PACTIS PACIS.

DCCLXXI.

Conuentiones, quae inter hoſtes fiunt, prout vel ſuſpendunt actus bellicos, vel finiunt, vel ad aliam quamdam praeſtationem

per-

Digitized by Google

pertinent, nunc *induciae*, nunc *pactio pacis*, nunc *conuentiones bellicae* nominantur.

DCCLXXII.

Atque in hoc poſtremo genere eminent pacta de permutandis vel redimendis captiuis vulgo *cartels*, porro de pretio determinato ſeu lytro pro horum redditione ſoluendo, tum pactum deditionis, vi cuius aut certa regio, vrbs, munimentum, aut certae perſonae hoſtium poteſtati permittuntur. Quarum conuentionum quanta vis ſit, ex iis, quae alibi de pactis et de interpretatione tradita ſunt, eruendum eſt.

DCCLXXIII.

Quoniam lytrum ea lege ſoluitur, vt captiuus a captiuitate dimittatur, ſequitur, vt eo ante redemtionem mortuo nullum debeatur lytrum; contra vt ſi redemtus iterum capiatur, is ad nouam lytri praeſtationem obligetur. *cf.* Hert. *Diſſ. de lytro.*

DCCLXXIV.

Vti vero iniuſtus hoſtis homo eſſe non deſinit, nec iuris rite adquirendi moralem amittit facultatem, ita quiſque hoſtilem animum deponere, ac iniuriam ſibi illatam vel penitus, vel pro parte remittere, aut etiam alteri iuri ſuo permiſſiuo renunciare poteſt. Ex quo conficitur, firma atque obligatoria eſſe debere, quaecunque de re poſſibili panguntur conuenta bellica, ſine quibus ſaepe

nec

Digitized by Google

nec medio leniori ad declinandam laeſionem vti, nec pacem niſi ſequuta vtriusque vel vnius ſaltem gentis belligerantis interneciọne reducere liceret.

DCCLXXV.

Non ergo cum ſtratagemate confundendum erit mendacium, atque perfidia, ſeu pacti cum hoſte durante bello initi violatio; hac enim admiſſa nullus ſane foret conducibilis bellorum exitus. Quin quo magis intereſt humanae ſocietatis haec pacta ſeruari, eo maior etiam eſt eorum ſanctitas, quae et ab obligatione imperantis erga ſuos ciues accipit incrementum.

DCCLXXVI.

Equidem iniuſtum hoſtem rebus corporalibus ac incorporalibus ſiue iuribus ſpoliare lege naturali eſt conceſſum, et hinc gens, cuius iuſta ſunt arma, nec pactis ante bellum cum hoſte initis ſtare debet, nec quod vi talium pactorum fuerat praeſtitum, adimere prohibetur, quin potius id, quod ipſa debet hoſti, cum eo, quod ſibi ab illo debetur, compenſare, vel in ſatisfactionem retinere poteſt.

DCCLXXVII.

